

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS

IN
M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM
QVAE FAMILIARES VOCANTVR
LIBRVM I.

EPISTOLAE I.
ARGVMENTVM.

Partes argumenti duae sunt, una et extrinsecus, et satis longe petita, quae ad regem Ptolemaeum proprio pertinet; altera, quae sumitur ex ipsa epistola, et regiae causae statim explicat; prior non aliena, posterior etiam necessaria. Rex Aegypti Ptolemaeus, Auletes dictus, quia tibiis canere, praeter dignitatem regiam, solitus esset, pater Cleopatrae, notissimae feminae, et eius Ptolemaei, cuius est iussu interfectus Pompeius Magnus, societatem et amicitiam populi Romani diu expertam impetravit aliquando, Caesare et Bibulo cons. qua de re sic ipse Caesar lib. 3. de bell. cin. c. 107. Controuersias regum ad populum Romanum, et ad se, quod esset consul, pertinere existimans, atque eo magis officio suo conuenire, quod superiore consulatu cum patre Ptolemaeo et lege, et senatus consulto societas erat facta. Et in oratione pro Pestumo c. 3. Non ei regi credidit, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum foedus feriri in Capitolio viderat. Eam autem societatem diu exoptatam esse a Ptolemaeo, nec nisi Caesare consule obtineri potuisse, intelliget, opinor, qui perpendet illud lib. 2. ad Attic. epist. 16. De rege Alexandrino, placuisse sibi, aliquando confici. Nam verbum, aliquando, negatam antea Ptolemaeo societatem, satis, ut opinor, ostendit. Nec vero minimam eius impetrandi honoris difficultatem Suetonius demonstrat, cum ait in Caesaris vita c. 54. Societates, ac regna pretio dedit: ut qui vni Ptolemaeo prope sex millia talentorum, suo Pompeiique nomine, abstulerit. Porro cupiditas Ptolemaei tanta societatis, et amicitiae populi Romani, non solum ex eo nata, quia superiores fere omnes Aegypti reges, eundem honorem adepti, praesidium aduersis temporibus in fide ac tutela Romanorum saepe maximum inuenerant, verum etiam, quod ipse, nisi socius amicusque populi Romani appellaretur, stabi-

lem sibi atque tutam regni possessionem non putabat: idque duabus causis, primum quod Alexandri regis, qui proximus regnauerat, testamento Aegyptus Romanis relicta dicebatur. itaque ait Cicero in oratione prima in Rullum c. I. Dicent decemui, id quod et dicitur a multis, et saepe dictum est; post eosdem consules, regis Alexandri testamento, regnum illud populi Romani esse factum. Et in secunda in eundem c. 16. Quis vestrum hoc ignorat, dici illud regnum, testamento regis Alexandri, populi Romani esse factum? Et paullo post: Video, qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem senatus exstare hereditatis aditae sentio, tum, quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris recuperarent. Hac igitur de causa, ne sibi regnum populus Romanus adimeret, Ptolemaeus timebat. Accedebat altera, quod ipse, non modo Alexandri regis mortui filius, verum nec e regio esse genere putabatur. itaque subiungit ibidem Cicero: Eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio esse, inter omnes fere video conuenire. Ptolemaeum designat: de quo etiam paullo post c. 17. Qui sunt, inquit, isti decemui, quos perspicimus, regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adiudicatuos? Honor igitur ille societatis et amicitiae populi Romani, vehementer optatus confirmandi regni causa, magnoque emptus, necessitatem quandam Ptolemaeo attulit Aegyptios offendendi. nam, cum ab eis intolerabilia tributa exigeret, incurrit in eorum odia: ex quo multitudine concitata, vitae suae timens, e regno Romanum profugit, Lentulo Spinthere, Metello Nepote coss. id est, biennio post, quam in societatem, amicitiamque populi Romani receptus erat. Quaesius iniuriam, petiit, ut restitueretur, impetrauitque non magno negotio, vel Pompeii gratia, eius causam adiuentis, ob amicitiam Mithridatico bello contractam, vel suffragante pecunia, clam multis data, vel etiam, quod regis bene de republica meriti, (nam, ut Plinio referente cognoscitur, Pompeio, circa Iudaeam rem gerenti, octo equitum millia Ptolemaeus suo sumptu miserat) et eius regis, quem senatus populusque Romanus biennio ante, Caesare et Bibulo Coss. socium atque amicum appellasset, iniurias ulcisci, non modo iustum, sed exemplo etiam utile, speciosumque videbatur. His causis factum est senatus consultum, referente consule P. Lentulo, ut sortirentur consules, uter eorum regem reduceret, id est, ut is reduceret, cui Cilicia provincia obtigisset: quae obtigit Lentulo. nam, si Ciliciam Lentulus antea sortitus esset; coniici posset in sortem reductionem regis non oportuit, quippe cum ea Ciliciae proconsuli, cui prope in conspectu Aegyptus esset, ob facultatem rei perficiendae prorsus deferenda videretur. Hispania vero, quae obuenit Metello, ut in Appiano legimus, longissime ab Aegypto remota, omnino cum reductione regis Alexandrini coniungenda non fuit. Huius et senatus consulti et sortis in oratione in Pisonem c. 21. mentio fit his verbis: Ille, si non acerrime fureret, auderet, quam provinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cum et auctoritate senatus, et sorte haberet, interposita religione, sine ulla dubitatione deposuisset, eam sibi adsci-

addiscere, cum, etiamsi religio non impediret, mos maiorum tamen, et exempla, et grauissimae legum poenae vetarent? *Et in ea pro Postumo c. 3.* Non latroni, sed regi credidit: nec regi inimico populi Romani; sed ei, cuius reditum consuli datum a senatu videbat. *Et in eadem c. 8.* Non ad Gabinii, cuius id negotium non erat, sed ad P. Lentuli, clarissimi viri, auctoritatem, a senatu profectam, et consilio certo, et spe non dubia, Romam contenderat. *Accedit huius epistolae testimonium, satis apertum, his verbis:* Hortensii, et mea, et Luculli sententia, ex illo senatus consulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem reducas. *Et in epist. 7.* Senatus consultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit. *Quae confirmat historia Dionis lib. 39.* Exeunte anno, cum Lentulus nondum in prouinciam inisset, per C. Catonem tribunum plebis obiecta senatui religio est, prolato e Sibyllinis versibus oraculo, ne rex cum multitudine reduceretur; si fieret, malo publico futurum. Tum factum est alterum senatus consultum, referente de religione Marcellino consule, regem cum multitudine reduci, periculosum reipublicae videri. De hoc senatus consulto sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. De rege Alexandrino factum est senatus consultum, cum multitudine eum reduci, periculosum reipublicae videri. Atque illam epistolam cum videam XIV. Kal. Febr. scriptam esse, facile possum suspicari, hoc senatus consultum, antequam haec ad Lentulum mitteretur, esse factum. nam neque Idibus, quo haec die scripta est, neque postridie, id est, XVII. Kal. neque XVI. factum esse, ex duabus constat epistolis, secunda et quarta. Quod si quis, XV. Kal. id est, pridie quam illam ad fratrem Cicero scripsit, decerni potuisse dixerit: antiqua consuetudine refelletur. senatum enim haberi per dies comitiales non licuit. comitiale autem fuisse diem XV. Kal. Ian. non solum fasti dierum veteres, sed etiam Cicero ipse in quarta docet epistola. nam, cum de senatu ad XVI. Kal. habito locutus esset, subiunxit: Senatus haberi ante Kalendas Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest. In ea etiam ad fratrem, cuius proxime sum usus exemplo, extractam ait rem obrectatorum Lentuli calumnia, deinde comitiales dies esse consecutos: cum de senatu XVI. Kal. habito loquatur, ut in quarta significat huius libri: ubi, iisdem fere verbis utens, res, inquit, ab aduersariis nostris extracta est variis calumniis. Ergo, ut redeam, unde diuertii, senatus consultum de religione ante hanc epistolam, id est, ante Idus Ian. factum erat. Tertium senatus consultum cum fieret, ne quis omnino regem reduceret, id quod, ut haec docet epistola, P. Seruilis Isauricus censuerat, intercessum est. Senatus tamen voluntas perscripta, quod, impedito senatus consulto, fieri solitum est, ut memoriae traderetur, atque exstaret in publicis tabulis, quid senatus, nisi obstisset intercessio, fieri voluisset. Hac de re sic in epist. 7. Senatus consultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit: eaque, quae de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur.

Sublato igitur a religione exercitu, cum de rege reducendo deliberaretur, et alii eum honorem Lentulo, quem iam antea et senatus consulto, et sortis beneficio acceperat, conseruarent, alii Pompeio mandandum, alii aliter censerent; varietas opinionum rem extraxit; Catonis deinde tribuni plebis audacia disturbauit penitus, atque peruertit. nam et ab initio tribunatus, ut Fenestella docet apud Nonium, concionibus assiduus inuidiam regi, ac Lentulo concitauit; et mox, lege etiam de abrogando Lentulo Ciliciae imperio promulgata, animos eorum, qui Lentulo fauebant, a minore cura ad summum timorem iraduxit: Pompeium vero, in senatu asperere, et acerbe accusatum, eo redegit, ut consilium reducendi regis abiiceret. itaque rex, desperato senatus auxilio, confugit ad Gabinium Syriae proconsulem: a quo, promissis ei decem talentorum millibus, (ea sunt HS bis millies quadringenties, ut ostendit Cicero in oratione pro Postumo c. 8.) Pompeio etiam, qui cum Crasso tum consulatum gerebat, admodum pro eo contendente, facile impetrauit, ut restitueretur. Ex eo postea Gabinus maiestatis accusatus, quod provinciae suae finibus, contra legem Corneliam, excessisset, corruptis iudicibus absolutus est; mox tamen de repetundis in iudicium vocatus, defendente, Pompeii rogatu, Cicerone, qui priore iudicio accusauerat, odio maxime prioris iudicii damnatus, publicatis bonis, in exilium abiit: quem postea dictator Caesar restituit. Hinc illa in eum oblique coniecta in oratione contra Pisonem c. 21. Se ipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Aegypto vendidit. in Aegyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis. cepit Alexandriam. Atque hoc loco foedam Appiani negligentiam dissimulare non possum, qui Gabinium, Pompeio tertium consule, de maiestate damnatum putat. in quo dupliciter peccat, primum temporis, deinde criminis inscientia. nam Gabinus biennio ante Pompeii tertium consulatum, Domitio et Appio cons. non de maiestate, sed de repetundis damnatus est. utrumque docet Dionis historia: cui si fides abrogatur, ipse certe non refelletur Cicero, quo ego, praesertim in rebus illius aetate gestis, locupletiore testem non quaero. is lib. 6. ad Attic. epist. 1. et lib. 3. ad Q. Fr. epist. 4. prorsus patefacit iniquitatem Appiani. Sed, ut redeam ad Auletem, pecuniae tantam vim Caesari primum ab eo datam, ut societatem populi Romani consequeretur, deinde Gabinio, ut eiectus restitueretur, forsitan mirari aliquis possit, qui, si eius regis annua relligalia nouerit, non dubito, quin mirari desinat. capiebat enim ex Aegypto, ut in quadam oratione Ciceronem scripsisse grauis auctor Strabo lib. 17. memoriae tradidit, talenta annua duodecim millia quingenta. In tantis opibus magni negotii non fuit, aut Caesari sex millia talentorum, aut Gabinio decem millia largiri, aut etiam, id quod a Varrone proditum Plinius narrat, octona millia equitum, Pompeio circa Iudaeam res gerente, sua pecunia tolerare, mille conuiuas, totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis saginare. Haecenus de Ptolemaeo. Nunc, quae sit epistolae sententia, quo prin-

cipio

cipio inducta, quibus distincta partibus, quo fine conclusa, videamus. Ac primum, quod iis, qui aliena negotia curant, amouenda in primis negligentiae suspicio est, orditur Cicero ab officio suo, operamque a se in regio negotio nauatam ita significat, ut eximian in Lentulum benevolentiam prae se ferat. mox regis, et eius amicorum studium, consulis, et consularium sententias, Pompeii familiarium contentionem, perfidiam amicorum exponit. quae qui attendat, rei difficultatem, ex Lentuli sententia conficiendae, maximam videat. nam ad regis voluntatem, qui reduci a Pompeio, ciuitatis principe, cupiebat, Hammonius eius legatus, clam pecunia data, senatorum animos traducere conabatur. Senatorum autem alii, illius largitionis inuidia, regem odebant, reducendumque prorsus negabant, ut Marcellinus, Seruilius, senatus maior pars: alii Pompeio rem deferri malebant, ut Volcatius, Afranius, Lupus, Lybo, Hyspaeus, omnes praeterea Pompeii familiares, quos, pro summa eius auctoritate, et gratia, plurimos fuisse par est: nonnulli, ut Crassus, reducendum quidem regem, sed sine exercitu, Sybyllae versibus admoniti, censebant. Horum tria video genera fuisse. nam, cum omnes in tuenda religione consentirent, non tamen omnium in ratione reducendi sensus idem erat. Placebat Crasso consulari, a tribus legatis, vel priuatis, vel iis etiam, qui cum imperio essent, regem restitui: ita neque Pompeius, neque Lentulus, qui cum imperio erant, excluderentur. Placebat Bibulo, item consulari, a tribus priuatis: ita Pompeio, et Lentulo locus non erat. Contra Hortensius, Lucullus, Cicerò, ipsi quoque consulares, ab uno Lentulo, Ciliciam cum imperio administrante, reducendum censebant: quod anno superiore, ipso Lentulo consule referente, senatus decreuerat. Quae si perpendantur singula: paene res a Lentulo remota videbitur. nam, si Marcellini, et Seruili de non reducendo rege valeat opinio, iacet negotium. Si Pompeii familiares vincunt: Lentulo reiecto, Pompeius decernitur. Si de legatis priuatis Bibuli sententia probatur: aequè Lentulus, et Pompeius, qui cum imperio erant, reiciuntur. Si Crassus auditur, ut inter legatos locum habeant ii, qui cum imperio sunt: oritur inter Lentulum, et Pompeium de reductione contentio; nec dubium, quin Pompeius obtineat, honoribus, et meritis in rempublicam ciuitatis facile princeps. unicum igitur in Hortensii, Luculli, Ciceronis sententia perfugium. Sed hic etiam aduersantur multa: primum, senatus voluntas, a rege, propter apertam largitionem, alienior; deinde, corrupti ab Hammonio, regis legato, non pauci, qui rem ad Pompeium deferri omnes volebant; postremo, ipsius Pompeii familiares, et in iis tribuni plebis aliquot, parati ad incurrendum, si pro Lentulo senatus consultum fieret. Addo illud, quod Ciceronis, quia Lentuli beneficio obstrictus videbatur, in causa regia minor erat auctoritas; gratia vero eius, ut magis esset, maiore tamen Pompeii gratia vincebatur. Nec vero, adempto exercitu, quod Cicero etiam, Hortensius, Lucullus religionis causa probare cogebantur, magis opere erat, cur eam reductionem Lentulus expeteret: quippe qui vereretur, ne, respuentibus regem Alexandrinis, quos cogere sine armis nequi-

nequiret, infesta re cum aliquo dedecore discederet. Quocirca praeclarum in hac epistola Ciceronis artificium licet animaduvertere: qui neque sperare Lentulum iubet, cum desperandum potius intelligat; neque tamen prorsus eum abducit a spe, veritus, ne hominis amicissimi, optimeque de se meriti, fortasse etiam, ipsius opera Ciceronis, optatum rei exitum exspectantis, animum offendant. nam in eo loco: In senatu alam sic egit causam tuam, vt neque eloquentia maiore quisquam, neque grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit: Pompeium optime animatum erga Lentulum significat. Infra vero, cum subiungit: Quae res augeat suspicionem Pompeii voluntatis: et paullo post: In eam opinionem rem adduxerunt, vt Pompeius cupere videatur: et in eo: Quod Pompeio se gratificari putant: id ipsum, quod promiserat, in dubium reuocat. Quod si qui erant, qui Pompeii causam nollent; ii nec Lentulo, qui antea Pompeium ornauerat, fauebant. Ita Lentulo spes omnis infirmatur: cum vel amicos Pompeii aduersarios habeat; vel, qui alieniores Pompeio sint, amicos ipse habere non possit. Callide autem, ne sua culpa res inclinasse videatur, inducit illa quasi excusationis loco: Vt in rebus multo ante, quam profectus es, ab ipso rege, et ab intimis ac domesticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, et in summam inuidiam adductis, ita verisamur. Scripta est epistola, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo coss.

EXPLANATIO.

M. Tullius Cicero] Me puero, Romanorum nominum obscura doctrina, et perdifficilis habebatur. nos fortasse primi nostris commentariis adiumenti hoc in genere aliquid attulimus: sed proxime, quae ad hanc notitiam pertinent, praeclare omnia collegit, auctor optimus antiquitatis, Carolus Sigonius. Hic si dixerim, Marcus, praenomen esse; Tullius, nomen; Cicero, cognomen; et haec tamen omnia, sine discrimine, a veteribus nomina interdum appellari; tribusque fere nominibus Romanos vti solitos esse, vt, M. Tullius Cicero, C. Iulius Caesar, Ser. Sulpicius Rufus; nonnumquam quattuor, vt, C. Calpurnius Piso Frugi, Cn. Cornelius Scipio Nasica; duobus interdum, vt, C.

Marius, L. Gellius, Q. Hortensius, M. Antonius: numquam, vno; cum nec praenomine quisquam, nec gentilitio nomine careret; licet multos ipso tantum praenomine, vt, Appius, Manius, Seruius, notos fuisse non ignorem: haec, inquam, et similia si dixerim, putem me dicere, quae nota sunt. Quod ad Tullios attinet, patricii primum, deinde plebei generis fuere. auctor ipse Cicero in Bruto c. 16. Vt, si ego me, inquit, a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Seruio Sulpicio consule, anno X. post exactos reges fuit. Plebeia vero gente natum illum M. Tullium, qui cum Cn. Cornelio Dolabella anno urbis DCLXXII. consulatum gessit, nemo, opinor, infitiabitur, qui et Dolabellas patricos fuisse, et duos patri-

patricios veteri lege simul esse consules non potuisse cognouerit. Hoc nomen a Tullo praenomine, quo rex Hostilius usus est, deriuatum nonnulli credidere. Cicerones dicti a cicere ferendo, vt Lentuli a lente, Fabii a faba, vt ait Plinius lib. 18. c. 3. quamquam Priscianus lib. 2. tradidit, qui primus Cicero dictus est, eum ab habitu faciei ita nominatum; et, quod agnomen in illo fuit, cognomen in posteris fuisse: similiter, Caesar, Scipio, quae primum agnomina fuere, in cognomina transisse.

P. Lentulo] Corneliae gentis patriciae. nam et Cornelii plebei fuere, vt ille C. Cornelius, qui, post tribunatum plebis, a Cicrone defensus est: et P. Cornelius tribunus plebis lib. 8. epist. 8. et patricii distinguuntur a plebeiis lib. 2. de Leg. c. 22. *Sulla primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari.* Ex ipsa autem gente patricia profluxere familiae multae, diuersis distinctae cognominibus, vt Maluginenses, Cossi, Ruffi, Scipiones, Blasiotes, Sullae, Merulae, Lentuli, Cethegi, Cinnae, Dolabellae: qui cum essent eiusdem gentis, eiusdem tamen familiae non erant: vt in Claudia gente Neronis, et Pulchri, patricii; at Marcelli, plebei; qui omnes recte gentiles dicuntur, eiusdem familiae non recte: quod ipsa cognominum varietas declarat. Hic Lentulus eximiam in aedilitate liberalitatis, et magnificentiae laudem est adeptus: vnde illud epist. 7. *Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis.* Et lib. 2. de Offic. c. 16. *Omnes P. Lentulus, me consule, vicit superiores.* Et Valerius Max. lib. 2. c. 4. *Clau-*

dus Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante picturam tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, eburne Q. Catulus praetexit: versatilem fecerunt Luculli, argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornauit. Numeratur inter oratores in Bruto c. 77. his verbis: *Publius ille, nostrarum iniuriarum ultor, auctor salutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit ex disciplina: instrumenta naturae deerant: sed tantus animi splendor, et tanta magnitudo, vt sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret.* Cognomen Spintheris, vt Valerius Max. lib. 9. c. 15. docet, a quodam asseclarum accepit. Plinius autem lib. 7. c. 12. eum Spintherem secundarum partium histrionem vocat. A similitudine certe cognomen hoc ortum est. nam Quintilianus lib. 6. c. 3. de risu, *acriora, inquit, sunt, et elegantiora, quae trahuntur ex viderum. In his maxime valet similitudo, si tamen ad aliquid inferius, leuiusque referatur: quae iam veteres illi iocabantur, qui Lentulum Spintherem, et Scipionem Scapionem esse dixerunt.* Spintherem tamen Cicero nunquam Lentulum appellat, opinor, quia contumelia videretur. Caesar, ab eo laesus, quia fuit in praesidiis Pompeii, Spintherem vocat lib. 1. de bell. ciu. c. 15. 22. 23. item Sallustius in Coniuratione Catilinae c. 48. veteres tamen nummi, Spinther, habent. Hoc ad filium eius transisse cognomen, Cicero ostendit lib. 12. ad Attic. epist. 52. et lib. 13. ad eundem epist. 10. Appianus lib. 3.

de bell. ciu. Plutarchus in Caesare, Dio lib. 39.

Procos.] Cum Suetonius, et Plinius, *proconsulatus*, Gellius, et Valerius Max. *proconsulare*, vnico verbo, dixerint; videtur, *proconsul*, dicendum esse, et coniuncte semper scribendum, vt varietur cum antecedente nomine, hoc modo: *Lentuli proconsulis*, *Lentulo proconsuli*, *Lentulum proconsulem*. veteres contrahebant, *pro. cos.* itaque scriptum in lapidibus Capitolinis animaduerti. librarii postea vel vnico verbo, *proconsul*, *proconsulis*, *proconsuli*, variatis casibus, scripsere; vel disiuncte, in omni casu, *pro consule*. ego, si liceat vtrumuis, malim scribere, *proconsul*, *proconsuli*, quam, *pro consule*; in quo me valde mo-

vet similitudo; cum dicatur, *pronepos*, *pronepotis*, *pronepoti*, et *proanuis*, *proaui*, non *pro nepote*, et *pro auo*. quod si conceditur: (nec dissentire quemquam video) valeat eadem ratio in *proconsul*, *propraetor*, *proquaestor*, et similibus. Nec moueor, quod in orat. pro lege Manilia c. 21. dicatur, mitti Pompeium ad bellum Mithridaticum non pro consule, sed pro consulibus. respexit enim, cum ita loqueretur, L. Philippus ad originem, et significationem nominis compositi, non ad morem scribendi, aut loquendi. Non negauerim, in antiquis quorundam lapidum inscriptionibus inueniri, *pro praetore*, *pro*, *propraetori*: sed in iisdem lapidibus, *proconsuli*, licet videre, non *pro consule*. exempla subiungam.

POPVLONII

L. ARADIO VAL. PROCVLO. V. C.
LEGATO. PRO PRAETORE. PROVINCIAE NVMDIAE
PROCONSVLI. PROVINCIAE. AFRICAE. VICE
SACRA. IVDICANTI. EIDEMQ. IVDICIO. SACRO
PER. PROVINCIAS. PROCONSVLAREM etc.

In aliis vero inscriptionibus opinio nostra plane comprobatur; vs in his:

HONORI.

MEMMIO. VITRASIO. ORFITO. V. C.
NOBILITATE. ACTIBVSQ. AD EXEMPLVM.
PRAECIPVO. PRAEFECTO. VRBI
ET. ITERVM. PRAEFECTO. VRBI. PROCONSVLI. AFRICAE

SEXTO. PETRONIO. PROBO
ANICIANAE. DOMVS
CVLMINI. PROCONSVLI
AFRICAE

FABIO. TITIANO. V. C.
CORRECTORI. FLAMINIAE
ET. PICENI. CONSVLARI
SICILIAE. PROCONSVLI
PROVINCIAE. ASIAE

C. CEO-

C. CEIONIO. RVFIO. VOLVSIANO. V. G.
 CORRECTORI. ITALIAE. PER. ANNOS. OCTO
 PROCONSVLI. AFRICAE

Habemus aliorum quoque lapidum testimonia: sed haec sufficiant, ne satietatem afferat copia. Diuus Augustinus in libro de Grammatica auctor est, aetate sua non, *proconsul*, sed *pro consule*, nominandi casu, vtitatum fuisse; veteres autem non, *pro consule*, sed *proconsul*, unico verbo, dixisse. *Ab E littera vocali*, inquit, nullum Latinum, nisi iuncta praepositione, masculinum inuenitur, ut *pro consule*, *pro praetore*. ergo, iuncta praepositione, fiunt Latina, ut dixi, *pro praetore*, *pro quaestore*. nam *veteres nominatiuo casu*, *proconsul*, dicebant, attendentes nullum nomen apud Latinos virilis generis in *E* exire. Antiquam consuetudinem et Priscianus lib. 2. comprobauit his verbis: *Praepositionis est, vel separatim casualibus praeponi, ut, de rege, apud amicum; vel coniunctim, ut, interius, indictus, proconsul, insipiens*. Venio nunc ad significationem nominis. *Proconsul* erat, qui, gesto consulatu, ibat in prouinciam. hoc vulgo notum est: illud fortasse non item, de quo doctos olim viros memini dubitare, *proconsules* aequae dici interdum solitos esse, qui ex praetura in prouinciam profecti essent. no longe abeam: Q. Metellus Celer lib. 5. epist. 1. et 2. *proconsul* appellatur. quod ne quis in dubium reuocet, quasi suspecta epistolarum inscriptione, Tironis, qui eas collegit, arbitrato facta, recitemus, ut scrupulus dubitantibus omnis eximatur, verba Plinii ex lib. 2. c. 67. *Nepos, in-*

quit, de septemtrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranii in consulatu collegae, sed tum Galliae proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos. Et lib. 12. epist. 11. et 12. Cassius proconsul vocatur, qui tamen consulatum non gesserat. Iam, lib. 1. de Leg. c. 20. ita scriptum est: Quia me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gellium, familiarem tuum, cum proconsule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tum erat, in locum unum conuocasse. Et in orat. in Vatini c. 5. C. Cosconium proconsulem vocat vltioris Hispaniae, qui consulatum non gesserat. Et in orat. pro Ligar. c. 1. C. Confidius praetorius, proconsul. Item M. Antonius lib. 2. de orat. c. 1. Et Liuius lib. 37. c. 46. L. Aemilium Paullum proconsulem appellat, qui praetor in vltiorem Hispaniam ierat. Suetonius etiam de C. Caesare propraetore, in Iulio c. 54. in Hispania, inquit, proconsul, a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium aeris alieni. In Augusto c. 3. cum loquatur de Q. Cicerone praetorio, proconsulatum, inquit, Asiae administrantem. Adde C. Caninium Rebilum, C. Sallustium Crispum; quos, consulatu nondum gesto, proconsules Hirtius appellat in lib. de bell. Afric. c. 86. et 97. et in eodem libro c. 2. et 34. Allienum, qui Siciliam obtinebat, modo praetorem, modo proconsulem: ad quem Ciceronis epistolae 78. et 79. lib. 13. inscribuntur, Proconsuli: item ad alios in eodem libro, qui

qui consules non fuerant. Et in lapidibus Capitolinis anno DCLIV. nominatur L. Dolabella proconsul, consulatu nondum gesto. Neque solum, qui post praeturam ibat in prouinciam, *proconsul* vocabatur; sed contra, qui post consulatum, *praetor*. Itaque Cicero ad Sallustium lib. 2. epist. 17. praetorem appellat Bibulum, post consulatum Syriam administrantem. Et lib. 5. ad Attic. epist. ult. *quod praetori dare consueissent*: pro, proconsuli: quia duo proconsules, Lentulus, et Appius, ante Ciceronem, Ciliciam, Cyprumque rexerant. Et P. Rupilius, qui consul fuerat, praetor dicitur in Verrinis orationibus, lib. 2. c. 16. et lib. 3. c. 54. et C. Caesar, cum Gallias post consulatum administraret. praetorem etiam, cum in prouincia consul bellum gereret, P. Scipionem a Liuius lib. 35. c. 1. appellari video. Pedianus autem, cum de Q. Mucio Scaeuola, Asiam post consulatum regente, loqueretur, praetorem vocauit. Quodque miremur magis, *quaestores*, a decedentibus proconsulibus prouinciae praefectos, animaduerti *proconsules* interdum nominari, ut Sallustium lib. 2. epist. 17. et Sextium lib. 5. epist. 6. quod epistolarum inscriptiones, veteribus in libris a me diligenter inspectae, significant. nam si, proconsulum loco, prouinciae curam susceperunt; consentaneum videtur, eadem eos potestate, eodem imperio fuisse. alioqui, si bellum aliquod exoriretur, rem militarem gerere qui licuisset? itaque primo anno quaestores, secundo, et tertio, si proconsulum loco prouinciae praessent, proquaestores, et interdum, ob imperium in eos translatum,

proconsules dicebantur, interdum etiam propaetores. nam Sallustius in Iugurthino c. 41. A. Albinum a Spurio fratre consule, Romam, comitiorum causa, decedente, propaetorem relictum demonstrat. Accepto igitur imperio, quod, hostibus propinquis, ratio temporis exigebat, et *proconsulum*, et *propaetorum* nomina *quaestores* assumebant. Proconsulem autem per triennium fuisse Lentulum in Cilicia, et haec prima epistola, scripta Marcellino et Philippo cons. et nona, Appio et Domitio, demonstrant. post triennium decessisse, cognoscitur ex eo, quod Appius ei statim post consulatum successit. Omnino lege Sempronia C. Gracchi, et Cornelia L. Sullae, prouinciae erant annuae: tamen interdum prorogabatur imperium, ut Lentulo, cui successit Appius, et Appio, cui Cicero; praeterea Q. Ciceroni, cum Asiae praesset, C. Antonio, Macedoniae proconsuli, C. Caesari, Gallias administranti, de quo epist. 7. *Et stipendium Caesari decretum est, et decem legati: et, ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est.* Prouincia Lentuli Cilicia est appellata: quamquam Asiae quoque parti praesset: ut ostendit epist. 9. nec vero Ciliciam administrabat vniuersam: quod lib. 15. epist. 1. declarat: et, in Ciliciae parte, regem fuisse Tarchondimotum, Dio lib. 41. et 54. et Strabo lib. 14. significat.

Ego omni officio, ac potius pietate] Epistolarum omnium quae materia sit, quaeque nos hortentur saepe, interdum etiam impellant ad scribendum causae, diu saepe, ac perattente cogitavi. artem enim quasi quandam, quae viam ad

ad inuentionem patefaceret, inuenire cupiebam. Atque in hoc meditandi studio cum occurrissent plurima, eaque admodum diuersa; tandem aliquando, inspecta rei cuiusque natura, atque vi, ad duo quaedam capita referri posse omnia visum est: quorum alterum graue ἡθικόν, alterum πραγματικόν vocatur, nos *morale* et *negotiale* possumus appellare. omnium enim epistolarum argumenta vel a negotio, vel ab officio, tamquam a duobus fontibus, deducuntur. *Negotiales*, quo res in statu sit, siue nostra, siue aliena, siue priuata, siue publica, significant. nec, si quae sunt, in quibus aliqua de re disputatur, ab hoc genere distingo. nostrum enim negotium videtur esse, si vitro scribimus; aliorum, si rogati. quamquam disputationes remouet ab epistola scriptor egregius Demetrius, at non Latini: nam Varro quaestiones multas epistolis explicauit, ut Gellius, et Carisius docent: et Valgius Rufus, ut idem Carisius ostendit, scripsit de rebus per epistolam quaesitis. *Morales* officium potius, quam negotium, continent. quod genus late patet. hinc enim emergunt, quaecumque aut humanitatis, aut beneuolentiae, aut aliquid omnino virtutis aliquam significationem habent; ut commendaticiae, et consolatoriae, laetitiam, aut dolorem indicantes, admonentes, hortantes, querentes, obiurgantes, gratias agentes, et, ut summum complectar, quae materiam a negotio non sumunt. Tertium quoddam genus, ex utroque mistum, reperiri non negauerim: sed hoc ut aequaliter ex utroque constet, id est, ut eae causae, quae ad scribendum adduxere, graues aequae sint, nec *morales* *negotialibus*, aut

negotiales *moralibus* vincantur, perquam raro solet euenire. quod si morale, aut negotiale in epistola mista excellet; (quod autem, ut ea scriberetur, vehementius impulit, id dico excellere) quis dubitet, quin, quae res in ea plus habet ponderis, eadem ei nomen tribuat? Non enim in assignando genere vel partes numerandae sunt, vel longitudinis habenda ratio est. possunt esse plures *morales* partes, quam *negotiales*; aut, si pauciores sint, vel una esse longior, quam *negotiales* omnes: nec tamen ad morale genus epistola pertinebit. quo enim, ut iam dixi, praecipue adducimur ad scribendum, id siue multis, siue paucis verbis exponatur, epistolas facit aut *negotiales*, aut *morales*. Ac *morales* quidem in simplici plerumque versantur argumento; suisque quasi finibus contentae negotialem materiam non attingunt: *negotiales* contra, non quia necesse sit, sed quia deceat, morale saepe aliquid assumunt. Possum probare exemplis, possum auctoritate eorum, qui de epistolis praecepta tradiderunt: sed ipsa quoque in promptu ratio est. quis enim, cum scribit, quod vel sua, vel eius, ad quem scribit, interfit, aliquam rei perficiendae cupiditatem non exponit? quis ad ea, quae restant, curam, et diligentiam non pollicetur? quis aut, confecto negotio, non laetatur, aut, desperato, non dolet? quae interdum grati animi, humanitatis quidem semper signa sunt. Moueor etiam non leuiter auctoritate Demetrii, scriptoris accurati in primis, et docti. Πλεῖστον αὖτ, ἐκέτω τὰ ἡθικὸν ἢ ἐπιτολῇ, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος· σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἐκαστὸς τῆς ἐκτὸς ψυχῆς γράφει τὴν

τὴν ἐπιστολὴν. Exempli vero, ne, quod adest, longe petamus, ad Lentulum scriptae epistolae suppeditant. negotiales enim omnes fere sunt: et his tamen morales Cicero sententias libenter admisceet, nimirum officii causa; ut, in patriam opera, ac virtute Lentuli reuocatus, tanti beneficii memoriam, et remunerandi studium declaret. fortasse etiam, ut ingenio valebat, ad officium artem adhibuit. nam, quia morales in primis ad conciliandam beneuolentiam idoneae sententiae sunt; idcirco, futurum intelligens, ut negotialem huius primae epistolae partem, id est, narrationem, Lentulus non admodum libenter legeret, quippe quae aduersa paene omnia, et inclinatam rem ostenderet; eam molestiam morali principio leniendam putauit. ad leniendum autem, si cetera deficiant, ipsa tamen amoris, et grati animi significatio multum valet. et grata voluntas societate quadam eiusdem doloris ostenditur. dolor autem Ciceronis, in Lentuli causa susceptus, quod singulari quodam studio valde tamen non proficiat, cum ex ipsa sententia, et ex hoc toto orationis ambitu, tum vero ex his maxime primis verbis, unde oritur sententia, colligitur: *Ego omni officio, ac potius pietate.* nam et in, ego, vis est; et augetur in, omni officio; et cumulatur demum correctione proxima, ac potius pietate. officium enim amoris expers esse potest, et communiter in omnes conuenit: nomen autem pietatis quiddam etiam granius, quam amor, significat: itaque non communiter in omnes, sed proprie conuenit in deos, quibus omnia debemus: deinde in patriam, atque in parentes;

quorum caritas proxime accedit ad deos: tertio loco, erga omnes propinquos: postremo, erga optime meritos; quos diligere ut propinquos, et colere parentum fere loco, aequum est. Quae singula eodem, quo proposuimus, ordine probemus. Ac pietas quidem in deos multis cognoscitur exemplis; quorum pauca recitabo. lib. 1. de Nat. Deor. c. 2. *Quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini sunt.* Et infra, ibidem c. 41. *Est, pietas, iustitia aduersum deos.* Et lib. 3. de Fin. c. 22. *Nec vero pietas aduersus deos, nec quanta his gratia debeat, sine explicatione naturae intelligi potest.* Et pro domo c. 41. *Nec est ulla ergo deos pietas, nisi honesta de numine eorum, ac mente opinio.* Et lib. 2. de Offic. c. 3. *Deos placatos pietas efficit et sanctitas.* Et in Topicis c. 23. *Aequitas tripartita dicitur esse: una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. prima pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia, aut aequitas nominatur.* Quae vero ad parentes, propinquos etiam, licet non bene meritos, pertinent, haec sunt. lib. 2. de Inuent. c. 22. *Religionem, eam, quae in metu et caerimonia deorum sit, appellant: pietatem, quae erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conseruare moneat.* Pro Flacco c. 38. *Nimiae pietatis, et summi amoris in patriam vicissim nos poenas, si ita placet, sufferamus.* Somnium Scipionis c. 3. *Iustitiam cole, et pietatem: quae, cum sit magna in parentibus, et propinquis, tum in patria maxima est.* Et in Bruto c. 33.

Vtinam

Vtinam (C. Gracchus) non tam fratri pietatem, quam patriae, praestare voluisset. Pro Coelio c. 32. *Quem vos supplicem vestrae misericordiae, seruum potestatis, abieciunt non tam ad pedes, quam ad mores sensusque vestros, vel recordatione parentum vestrorum, vel liberorum iucunditate sustentate: ut in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiae vestrae seruiatis.* Pro Plancio c. 12. *Omitto illa, quae si minus in scena sunt, at certe, cum sunt prolata, laudantur: ut viuat cum suis: primum cum parente, nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum.* Et lib. 4. Acad. c. 1. *Admodum adulescens, cum fratre, pari pietate, et industria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus.* Et lib. 6. ad Attic. epist. 3. *Cum bellum esse in Syria magnum putetur, id videatur in hanc provinciam erupturum; hic praefidii nihil sit; sumtus annuus decretus sit; videaturne aut pietatis esse meae, fratrem relinquere? aut diligentiae, nugarum aliquid relinquere?* Pro Quintio c. 6. *Si veritate, amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se, et perfidiosum, et impium esse fateatur.* Et ad Toranium lib. 6. epist. 20. *Hic tui omnes valent, summaque; ie a e te desiderant.* Atque haec vno loco omnia, in orat. pro Plancio c. 33. comprehenduntur. *pietas enim definitur, grata voluntas in parentes, in patriam, in deos, in amicos: eaque tribus modis laudatur, ut virtus, ut virtus maxima, ut virtutum reliquarum omnium ma-*

ter. Exemplum pietatis etiam parentum in filios vnum Ciceronis afferam ex lib. 13. ad Attic. epist. 39. *Ad patrem, domo sibi carentem propter matrem: plena pietatis.* Alterum Catulli carm. 66. v. 29.

*Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui nati minxerit in gremium.*

Deorum in homines, Statius lib. 3. Silu. v. 1.

Summa Deum pietas.

Extremum restat de pietate in bene meritos. quo ex genere hoc ipsum est: *Ego omni officio, ac potius pietate erga te. et epist. 9. Periuicundae mihi fuerunt literae tuae; quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam benivolentiam, cum illud ipsum grauissimum et sanctissimum nomen pietatis lenius mihi meritis erga me tuis esse videatur?* Et in eadem, in extremo: *Sunt enim testes, et erunt, sempiterni meritorum erga me tuorum, meaeque pietatis.* Cur autem, cum id, quod diis hominibusque debemus, proprie pietatis nomine totum exprimatur, non eodem nomine erga Lentulum Cicero vteretur, quem in vtraque post reditum oratione non modo parentem, verum etiam Deum suae salutis, vitae, fortunae, memoriae, nominisque vocat? sic lib. 2. epist. 6. cum Milonem commendat, bis nomen *pietatis* vsurpat; quod, eo adnitente, patriam recuperauerat. Et alibi saepe. Quod autem in primis quattuor verbis, *ego omni officio, ac,* vocales concurrere passus est; in eo etiam moralis virtus elucet. laborare enim videtur, quod amantissimi hominis est, de

de re potius, quam de verbis. itaque hanc indiligentiam non solum a reprehensione vindicat, verum etiam cum aliqua laude coniungit in Oratore c. 23. *Habet, inquit, ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re, hominis, magis quam de verbis, laboranti.* Et in eodem libro, infra c. 44. *Quod quidem latina lingua sic obseruat, nemo ut tam iustus sit, qui vocales nolit coniungere.* In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit: et si magister eius Isocrates, at non Thucydides: ne ille quidem, haud paullo maior scriptor, Plato. — In populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in proeliis interfecti: quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit. in ea est crebra ista vocum concursio, quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes. Sed Graeci viderint; nobis, ne si cupimus quidem, distrahere voces conceditur. Haec ille: qui tamen paullo post c. 45. non debere admodum crebro vocales vocalibus occurrere, indicat his verbis: *Hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent.* Gellius et in poetis hoc probat lib. 7. c. 10. aitque suavius esse in Virgilio: *Vicina Vesueo Ora iugo,* quam, *Vicina Vesueo Nola iugo:* et apud Catullum, *Ebriosa acino ebrioris.*

Dictum est de generibus epistolarum: quibus demonstratis, duplex occurrit animaduersio, primum, quae utrique sint aptae generi sententiae; deinde, quibus

nam sententiae verbis enuncientur. Ac licet, nisi fallor, simul utrumque complecti, et ita definire: *epistola consuetudinem fere quotidiani sermonis debet imitari.* nam, si, quod inter longe remotos nequaquam vox et lingua praestare potest, id bono litterarum consequimur, ut iis de rebus, quae vel nostra, vel amicorum intersint, communicemus: profecto nihil aliud, quam imago quaedam sermonis, videtur epistola. idem sensit Artemon ille, qui descripsit epistolas Aristotelis: quem dixisse Demetrius ait, oportere eodem stilo et dialogum scribi, et epistolas: esse enim epistolam dialogi partem. Sententias tamen interdum grauiiores, quam dialogus, et maiorem elegantiam admittit epistola; non modo quia studio, curaque maiore scribimus, quam loquimur; verum etiam, quia, cum ad principes viros, aut etiam ad ciuitates litteras mittimus, quod interdum euenire solet, habenda omnino videtur personarum ratio; et in eo paululum se tollat epistola, non modo licet, verum etiam necesse est. quales enim putemus fuisse epistolas illas, quibus viri eloquentes, et docti, atque ipse in primis Aristoteles Alexandrum Magnum, incensum cupiditate verissimae gloriae, cohortabatur ad decus? iam vero, quae leguntur Demosthenis ad Philippum, habere eas quiddam amplum, longaeque distare a communi sermone, negari non potest. Ne defunt Ciceronis in hoc genere nonnullae, ut illa ad Lucceium lib. 5. 12. de sui consulatus historia separatim componenda; et illa ad Dolabellam lib. 9. 14. qua ei de sublata columna, et iis, qui eam

Caesari

Caesari mortuo, tamquam Deo, in foro exerant, supplicio affectus, gratulatur. in illa vero ad Lentulum, quae incipit, *Periucundae*, (9.) partes multae sunt, in quibus aliquanto maior vel verborum copia, vel sententiarum splendor apparet, quam dialogi ratio, et natura postulet. Age, quid in ea (epist. 16. ad Brut.) dialogo simile reperitur, in qua M. Brutus Ciceronem accusat, quod suppliciter nimis, ac demisse ad Octavianum scripsisset? Verum hoc, quidquid est licentiae, prudentia moderatur. tempus, personarum dignitas, res ipsa, quovsque progredi liceat, ostendit. Proprie vero et simplici argumento, et simplici stilo contentae sunt epistolae. Recte, et festiue Cicero ad Paetum lib. 9. epist. 21. *Quid tibi ego in epistolis videor? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Priuatas causas, et eas tenuis, agimus subtilius: capitis aut famae scilicet ornatus. epistolas vero quotidianis verbis texere solemus.* Idem tamen, qui hoc praecipit, non vsquequaque seruat suam regulam: indulget enim ingenio nonnumquam, et epistolas concinnat, atque ornat verbis aliquanto illustrioribus, quam quae populo familiaria, et communi sermone trita sunt. sed hoc eiusmodi est, vt immodice, ac temere si fiat, fastidium pariat, et in reprehensionem incurrat; sin modice, et loco, delectet sine fatietate, et laudem assequatur. decet igitur idem, et dedecet, pro vtentis ingenio; quod aliis quoque rebus con-

tingit. Hac virtute vel solus inter Latinos, vt mihi quidem, videtur, vel certe maxime omnium Cicero excelluit. Demosthenem quidem ita vicit, vt comparatio nulla sit: quod Quintilianus lib. 10. c. 1. quoque vidit. Breuitas laudatur in epistolis: iure quidem: breui enim sermone magis capimur, quam producto: verum in omni re modus est: et peccat eodem fere modo, qui multa paucis contrahit, et qui pauca diffundit in multa. Praeclare Gregorius Nazianzenus, qui vtroque vitio laborant, eos iaculantibus comparat, ita mittentibus telum, vt vel supra scopum, vel infra feratur. vtrique enim errant pariter, licet contrario modo. Hic mihi committendum non puto, quando de epistolis agitur, vt fraudentur studiosi pulcherrima ipsius Gregorii, viri eloquentissimi, epistola, in qua prudenter et ingeniose, quae ad hoc ipsum scribendi genus attinent, omnia persequitur, sic, vt ne Demetrius quidem ille, quem supra appellauimus, vel plura, vel meliora tradiderit.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ

ΝΙΚΟΒΟΤΑΝ.

Τῶν γραφόντων ἐπιστολὰς, ἐπαθὴ καὶ τὰτο αἰτεῖς, οἱ μὲν, μακρότερα γράψασιν, ἢ περ εἰκός· οἱ δὲ, καὶ λίαν ἐνδεέστερα καὶ ἀμφοτέροις τὸ μέτρον διαμαρτάνουσιν, ὥσπερ τῷ σκοπῷ οἱ τοξεύοντες, ἅντε εἰς τὴν πέμπωσιν, ἅντε ὑπερπέμπωσι. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον, κ' ἂν ἐπὶ τῶν ἐναντίων γίνηται. ὅτι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεῖα, καὶ ὅτε μακρότερα γραπτέον, ἢ μὴ πολλὰ τὰ πράγματα ὅτε μικρολογητέον, ἔστιν πολλὰ. τί γὰρ ἢ τῇ Περσικῇ χοίνῳ μετρεῖσθαι δεῖ τὴν σοφίαν, ἢ παιδιῶς πηχεῖ,

B

πηχεῖ,

πῆχεσι, καὶ ὅτως ἀτελῆ γράφειν, ὡς
μὴδὲ γράφειν; ἀλλὰ μιμεῖσθαι τῶν
σκιῶν τὰς μεσημβρινὰς, ἢ τῶν κέν-
τρων τὰς κατὰ πρόσωπον ἀπαντώσας,
ὧν συνιζάνη τὰ μήκη· καὶ παραφαι-
νεταὶ μᾶλλον, ἢ φαίνεται, τῶν ἄκρων
τινὶ γνωρίζοντα· καὶ ἔτι, πῶς ἂν
εἴποιμι καιρίας, εἰκασμάτων εἰκασμα-
τα, δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν
ἀμετρίαν, τῷ μέτρῳ κατατυγχάνειν.
Περὶ μὲν τῆς συντομίας, ταῦτα γι-
νώσκω. Περὶ δὲ σαφηνείας, ἐπεῖνο
γνώριμον, ὅτι χρηρὴ φεύγοντι τὸ λο-
γοῦδες, ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ
λογικώτερον ἀποκλίνειν. καὶ, ἵν' εἴπω
συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη,
καὶ κάλλιστα ἐχέουσα, ἣ ἂν καὶ τὸν ἰδιώ-
την πείθῃ, καὶ τὸν πεπαιδευμένον, τὸν
μὲν, ὡς κατὰ τὴν πολλὰς ὅσα, τὸν
δὲ, ὑπὲρ τῆς πολλὰς, καὶ ἢ αὐτόθεν
γνώριμος. ὁμοίως γὰρ ἀκίρρον, καὶ
γρίφον νοεῖσθαι, καὶ ἐπιστολὴν ἐρμη-
νεύεσθαι. Τρίτον ἐστὶ τῶν ἐπιστολῶν ἡ
χάρις. ταύτην δὲ φυλάττομεν, εἰ μὴτε
παντάπασις ἤμερς, καὶ ἄχαρι γράφω-
μεν, καὶ ἀκαλλώπιστα, ἀκρίβητα, καὶ
ἀνόρητα, ὃ δὴ λέγεται, οἷον δὴ γνω-
μῶν, καὶ παροιμιῶν, καὶ ἀποφθεγμά-
των ἐκτὸς· ἔτι δὲ σκωμμάτων, καὶ δι-
νιγμάτων, οἷς ὁ λόγος κάτατυλκαίνε-
ται· μὴτε λίαν τύτοις φαινοίμεθα κα-
ταχρώμενοι. τὸ μὲν γὰρ ἄγροικον, τὸ
δὲ, ἀπληστον. καὶ τοσαῦτα τύτοις χρη-
τέον, ὅσα καὶ ταῖς πορφύραις ἐν τοῖς
ὑφάσμασι. τροπὰς δὲ παραδοξόμεθα
μὲν, ὀλίγως δὲ, καὶ ταύτας ἐν ἀναι-
σχύντως. ἀντίθετα δὲ, καὶ πάριστα, καὶ
ἰσοκάλῃ, τοῖς σοφισταῖς ἀπορρίψομεν.
ἐνδέσθω καὶ παραλάβοιμεν, ὡς κατα-
παίζοντες μᾶλλον τὸτο ποιήσομεν, ἢ
σπαράζοντες. Πέρας τῷ λόγῳ (ὅπερ
τῶν κομψῶν τῶς ἡμέρας περὶ τῶ ἀε-
τῷ λέγοντος) ἡνίκα ἐκρίνοντο περὶ βα-
σιλείας οἱ ὀρνίθες, καὶ ἄλλος ἄλλως
ἤκον ἐαυτὸν κοσμήσαντες, ὅτι ἐκείνῃ
κάλῃσιν ἦν τὸ μὴ οἶεσθαι καλὸν εἶναι.

τὸτο καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς μάλα τι η-
ρητέον, τὸ ἀκαλλώπιστον· ὅτι ἐγγυτά-
τω τῷ κατὰ φύσιν. Τοσαῦτά σοι περὶ
ἐπιστολῶν, ὡς δι' ἐπιστολῆς, παρ' ἡμῶν
καὶ ταῦτα ἴσως ἔ' πρὸς ἡμῶν, οἷς τὰ
μεῖζα σπευδάσεται. τ' ἄλλα δὲ, αὐτὸς
τε φιλοπονήσας, εὐμαθὴς ὦν· καὶ οἱ
περὶ ταῦτα κομφοὶ διδάξουσι.

Prouerbia non excludit, sed cre-
bra non probat: quod Ciceroni
quoque placuit: itaque paucis uti-
tur. at Demetrius, κάλλος, inquit,
ἐπιστολῆς πικρὰ παροιμία· δημοτικὴν
γὰρ ἐστὶν ἡ παροιμία, καὶ κοινόν. Ego
seruo, et seruabo Gregorii docu-
mentum, ut prouerbiis neque num-
quam, neque saepe utar, accedente
praesertim Ciceronis exemplo;
quem cum lego, nullius rhetoris
praecepta desidero.

Ceteris] Meum in re tua stu-
dium, officiumque cernentibus.

Mibi] Qui tuam erga me bene-
volentiam imitor, merita non asse-
quor. tu enim in re mea, quod
agebas, perfecisti: mihi non idem
contingit in tua.

Numquam satisfacio] Suauitate
quadam fruuntur aures, geminato
verbo, et negatione posteriori prae-
posita: ut hic; ceteris satisfacio
omnibus, mihi ipsi numquam satis-
facio. simile illud pro Sextio c. 3.
Ademit Albino foci nomen mors
filiae, sed caritatem illius necessi-
tudinis et benevolentiam non ad-
emit. Et lib. 2. de Leg. c. 7. Quid
est enim verius, quam neminem
esse oportere tam stulte arrogan-
tem, ut in se rationem et mentem
putet inesse, in coelo mundoque non
putet?

Magnitudo] Lentuli beneficium
tribus modis auget; quod merita
vocat,

vocat, vim quaerens et in ipso vocabulo, et in numero; quod addit, *magnitudo*; quod, *magnitudo tanta*.

Meritorum] Meritum Lentuli maximum erga Ciceronem fuit, cum eum, lege Clodia pulsum, quod ciues Romanos, coniurationis in patriam conuictos, capitali supplicio, contra veteres leges, moremque maiorum, indicta causa affecisset, consul sextodecimo eius exsulii mense reuocauit. Hoc meritum significari, quae sequuntur, ostendunt: *Quia tu, nisi perfecta res, de me non conquisisti*. Merita vero quod appellat, non meritum, amplificatio quaedam est. admonet enim Aristoteles, usurpari interdum ab oratore, ut rem augeat, multitudinis numerum pro singulari: quod saepe Cicero fecit, ut lib. 9. epist. 15. *Te cum video, omnes mihi Grancios, omnes Lucilios, (vere ut dicam,) Crassos quoque, et Laelios videre videor*. Merita autem plus, quam officia, valent. ad Brutum lib. 11. epist. 17. *Lamia uno omnium familiarissime vtor. Magna eius in me, non dico officia, sed merita*. Ad Cornificium lib. 12. epist. 29. *Ad haec officia, vel merita potius, iucundissima consuetudo accedit*. Phil. 13. c. 4. *Magna eius in me merita, mea quaedam officia in illum*.

Quia ERN. Quoniam] Parui refert, utro modo legas, vel, *quia*, vel, *quoniam*: nisi tamen hoc videtur plenius: et est in quattuor meis antiquis libris: quod ideo testatum volui, ne quasi commentitium rejiceretur, eorum scriptis, qui se in veteribus cunctis exemplaribus, *quia*, vidisse confirmarunt. Non grauabor in-

terdum ad haec humilia me demittere: ne quod ab industria nostra diligentiae genus iure quisquam desideret. quamquam, ut omnibus plane satisfiat, vlla diligentia vix, aut ne vix quidem, consequi me posse, non ignoro.

De me non conquisisti] Quia, cum primum consul est designatus, Ciceronis causam suscepit, et eius de reditu sententiam, consulibus Pifone et Gabinio repugnantibus, praeclarissimam dixit: quo vero primum die magistratum iniit, eo ipso die, id est, Kal. Ian. de Cicerone retulit, sprete lege Clodia, quae poenam referentibus irrogabat. cumque tribunus plebis Atilius Serranus, nocte ad deliberandum postulata, postridie senatus consultum interuenisset, numquam tamen Lentulus postea conqueuit, donec, Sextili mente, centuriatis comitiis perlata lege, rem perfecit. de quo sic in orat. pro domo c. 27. *Nam impediiebantur, verum ea lege, quam idem iste de Macedonia Syriaque tulerat. Hanc tu, P. Lentule, neque priuatus, neque consul legem esse unquam putasti. nam, tribunis plebis referentibus, sententiam de me designatus consul saepe dixisti: ex Kalendis Ianuariis, quoad perfecta res est, de me retulisti: legem promulgasti, tulisti*. Similia de Lentuli studio, atque constantia in aliis orationibus, pro Sextio c. 32. 33. 69. post reditum ad Quirites c. 6. 7. 8. in Senatu c. 3. 4. 11. in Pisonem c. 15. alibi.

In tua causa] In tuo negotio, in reductione regis. *Causa* et hic, et aliis in locis pro eo sumitur, quod ad aliquem proprie pertinet: ut paullo post: *in causa haec sunt*:

id est, in curanda tibi reductione regis. Et infra: *hac regia caussa excepta*. Et in extremo: *nos in caussa auctoritatem eo minorem habemas*. Differunt autem *res*, et *caussa*, et, vt arbitror, in eo differunt, quod, *res*, patet aliquanto latius, quam *caussa*: vt *res* totum negotium significet, *caussa* vero negotii partem illam, quae ad Lentulum pertinet, vt scilicet restitutio regis ad eum deferatur. huic opinioni suffragantur potius, quam aduersantur, exempla. Epist. 5. *De Alexandrina re, caussaue regia*. Epist. 7. *Quid res, quid caussa, quid tempus ferat*. Epist. 9. *Accepisti, quibus rebus adductus, quamque rem, causamque defenderim*. Lib. 2. epist. 6. *Nunc tibi omnem rem, atque causam, meque totum commendo, atque trado*. Epist. 7. ibidem. *De sacerdotio tuo quantum curam adhibuerim, quamquam difficili in re, atque caussa, cognosces ex iis literis, quas Tharasoni, liberto tuo dedi*. Lib. 12. epist. 4. *Scriberem plura, si rem, causamque nossem*. In orat. pro Caecina c. 4. *multa, quae sunt in re, quia remota sunt a caussa, praetermittam*. Sed finis exemplorum sit: vitanda enim satietas est.

Acerbam] Insuauem, iniucundam: translatione a fructibus immaturis. Lib. 3. epist. 8. antitheta posuit acerbum et dulce: *Non debent mirari homines, — me esse acerbum sibi, vt sim dulcis mihi*.

Putem] Quia re vera ipsum, vivere, nemini acerbum est, sed tum videtur, cum accedunt molestiae. ideo, *putem* dixit potius, quam *sentiam*.

In caussa haec sunt] Haec sunt, quae tibi, quo in statu caussa sit, significare possint.

Hammonius] Nomen Aegyptiis vsitatum, inde ductum, quod apud Libycos, vt ait Pausanias, Iuppiter Hammon coleretur.

Regis legatus] Nam rex aberat: quia, cum exercitum, Sibyllae verbis interdictum, desperaret, petiit, vt a Pompeio, duobus tantum licitoribus comitato, restitueretur. quod cum non impetrasset, verito senatu, ne Pompeii potentia nimium augeretur; abiecta spe, Epheum se contulerat, relicto Hammonio legato. discessisse eum ab vrbe, antequam tribuni plebis magistratum inirent, id est, ante IV. Idus Dec. apud Nonium Fenestellae verba significant. Dio discessisse significat, non modo post initum a tribunis plebis magistratum, sed etiam consulatum gerentibus Marcelino et Philippo, id est, post Kal. Ian. Ego assentior Fenestellae, et quod antiquior, quam Dio, (nam eum nouissimo Tiberii principatu periisse, Plinius ait) et quod in rebus Romanis maior homini Romano, praesertim Romae viuenti, habenda fides est. ipse etiam Cicero, cum haec Idibus Ian. scriberet, regem ab vrbe multo ante profectum ostendere videtur his verbis: *In rebus multo ante, quam profectus es, ab ipso rege, et ab intimis, ac domesticis Pompeii clam exulceratis*.

Aperte] Nullo legum metu: quae res insensum Ptolemaeo fenatum reddidit.

Oppugnat] Aduersatur vehementer. Translato verbo, quo magis Ham-

Hammonii studium ostenderet, *usus est.*

Creditores] Qui non solum id agebant, ut rex restitueretur, quo creditas ei pecunias exigere possent: verum etiam aperte pecunias pro Pompeio contra Lentulum suppeditabant, quod regem cupere intelligebant. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Creditores regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum.* In orat. pro Postumo c. 2. et apud Dionem lib. 39.

Cum tu aderas] Inepte nonnulli, ut antiquitatem amare videantur, quum pro cum scribunt: cum Priscianus obsoleuisse iam consuetudinem illam ostendat lib. 1. his verbis. *Apud antiquos frequentissime loco Cum syllabae Qui ponebatur, ut et e contrario, ut ut quis, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus: quum pro cum, quur pro cur.*

Regis causa qui velint] Vel pueris haec iam nota sunt, *voluptua causa, volo tibi*; pro faueo, studeo, amicus sum. In contraria sententia, *cui qui nolunt*, dixit infra.

Qui pauci sunt] Et suauitatis quiddam habet, *qui*, repetitum: et omnino huiusmodi additamenti non modo plenior, verum etiam paullo splendidior efficitur sententia: ut lib. 2. epist. 18. *Quae mihi veniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiscebam, existimaui, me ad te oportere scribere.* Eiusdem generis illud lib. 4. epist. 7. *Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna, pro tuis maximis clarissimisque virtutibus, multitudo.* Pauci autem regis causa volebant, vel ob apertam eius largitionem, vel quia propter acerbif-

simam tributorum exactionem electum ab Alexandrinis audierant.

Ad Pompeium] Cuius ob Mithridatici belli gloriam longe maior, quam ceterorum, apud omnes gentes erat auctoritas: quo futurum sperabat rex, ut Aegyptii nihil ei petenti denegarent.

Religionis calumniam] Sibyllae versus Aegypti regem cum exercitu reduci vetabant: cuius oraculi verba apud Dionem lib. 39. haec sunt: *Si rex Aegypti, auxilio indigens aliquo, venerit, amicitiam quidem ei ne denegaueritis; ne tamen eum multitudine aliqua inue-ritis: sin aliter; et labores, et pericula habebitis.* Eam sententiam Lucanus lib. 8. v. 824. expressit his verbis:

*Haud equidem immerito Cuma-
nae carmine vatis*

*Cautum, ne Nili Pelusia tange-
ret ora*

*Hesperius miles, ripasque aestate
tumentes.*

Narrat Dio, C. Catonis tribuni plebis opera, qui reductionem regis impedire conabatur, oraculum illud esse patefactum, senatu non invito, cui largitio illa regis odiosa erat. Nam, quod ad Sibyllae versus attinet, probabat eos quidem senatus, verum non tam religione, quam illius regiae largitionis inuidia. Et Cicero ipse, qui reductionem regis, Lentuli gratia, vehementer cuperet, *calumniam religionis* appellat, id est, malitiosam et fictam de Sibyllinis versibus orationem: ut, exercitu adempto, quasi iubente Sibylla, restituendi regis curam suscipere nemo vellet. Itaque *homines religiosos* cum ironia

vocat epist. 7. quasi per speciem religionis alia cogitantes: *Esse, inquit, et tuae, et nostri imperii dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco, rege collocato, te cum classe, atque exercitu proficisci Alexandriam: ut, cum eam pace, praesidiisque firmaris, Ptolemaeus redeat in regnum: ita fore, ut per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit, et sine multitudine reducat, quemadmodum homines religiosi Sibyllae placere dixerunt.* Eandem calumniam notat epist. 4. cum ait: *Haec tamen opinio est populi Romani, a tuis inuidis, atque obreſcatoribus nomen inductum fictae religionis, non tam ut te impedirent, quam ut ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam vellet ire.* Est igitur calumnia, versuta quaedam, et callida fallendi ratio. et quamquam huic verbo proprium sit in accusatione domicilium, eidem tamen migrationes in alienum esse multas, exemplis intelligitur. epist. 4. *Res ab aduersariis nostris extracta est variis calumniis.* Lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Per obreſcatores Lentuli res calumnia extracta est.* Lib. 4. ad Attic. epist. 3. *Metellus calumnia dicendi tempus exemit.* Lib. 1. de Ofic. c. 10. *Exsistunt saepe iniuriae calumnia quadam, et nimis callida, et malitiosa iuris interpretatione.* Lib. 2. de repub. apud Nonium: *Vt Carneadi respondentis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solebat.* Et Valerius Max. lib. 9. c. vlt. *Illa tamen quaestione neque calumniae petitoris, neque violentiae plebis iudicantium religio cessit.*

Maleuolentia, et illius regiae largitionis inuidia Duas causas

affert, quare praeceptum Sibyllae de non reducendo cum exercitu rege senatui placeret; maleuolentiam, quia de legatis Aegyptiis, mandato regis clam interfectis, percubisset; regiae largitionis inuidiam, quia, cum Hammonius quorundam senatorum animos aperte pecunia corrumpere, ea largitio turpissimam infamiae notam ordini inureret vniuerso.

Inuidia Ambiguum verbum. nam et dolor est ex alienis bonis: quam Cicero *inuidentiam*, ut anceps inuidiae vocabulum vitaret, in definiendis animi morbis appellare maluit: et, ut mihi quidem videtur, non *odium*, quod quibusdam placuisse video, sed *infamia* potius ex aduersa fama, et publica prauitatis alicuius opinione: quam semper cum odio coniungi necesse non est. nam si *odium*, et *inuidia* idem esset, eadem vtrique contraria opponerentur: nunc opponuntur diuersa, odio quidem amor, inuidiae autem gratia. Accedit, ut omittam, quod inuidia late diffunditur: numquam enim apud vnum, sed apud multos in inuidia sumus: odium vero interdum in angustum contrahitur: aequae enim et vni, et multis odio esse possumus. Postremo, non eadem res inuidiam, odiumque gignunt. nam *inuidia* nascitur ex animi turpitudine, licet ea neminem laedat: ut si quis otio, desidiaque languescat, eo nomine male audit, quae dicitur, *inuidia*, nec tamen inde odium, sed inertis, ignauique hominis oritur contemptio. *odium* autem ex iis rebus exsistit, vnde vel ipsi afficimur iniuria, vel alios etiam laedi, praesertim iniuste, videmus. *Inuidia* dicta, quia non libenter videmus,

mus, neque qui fortuna meliore, quam vellemus, vtuntur, neque qui sequuntur ea, quae ipsi non probamus.

Comprobat] Iam enim senatus consultum factum erat, cum multitudine regem reduci, periculofum reipublicae videri. Hoc ego verius existimo, quam quod a Dione traditum est, perspectis Sibyllae versibus, decreta omnia, pro rege facta, esse inducta: valuisse enim senatus consultum, quo reductio regis Lentulo mandabatur, indicant quae infra sunt: *ex illo senatus consulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem reducas.* Et epist. 7. satis aperte: *Senatus consultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit.* Sed ita Dio excusatur, quod senatus induci quidem voluit omnia decreta: sed intercedente tribuno plebis, fieri senatus consultum non potuit: per-scriptaque senatus voluntas: id quod, ubi senatus consultum impediretur, interdum fieri solitum animaduertimus: eaque *senatus auctoritas* dicebatur: de qua sic in eadem epistola: *Eaque, quae de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur.*

Hortari, et orare] Hortantis mor et auctoritas, orantis voluntas: et hortationi saepe adduntur preces, vt, si auctoritas pondus non habet, saltem voluntas valeat. vtrumque coniunxit in prooemio lib. I. de Orat. *Tibi frater, inquit, neque hortanti deero, neque ro-*

ganti. nam neque auctoritate quispiam apud me plus valere te potest, neque voluntate. Lib. 5. epist. 18. *Te magnopere non hortor solum, sed etiam, pro amore nostro, rogo atque oro, te colligas, virumque praebeas.*

Liberius accusare] Leuius est, quam, libere accusare. nam interdum efficacitatis minus habent, quae comparandi aduerbia Grammatici appellant, quam quae simpliciter, sine vlla comparatione, enunciantur. *Accusatio* autem extra iudicium etiam in priuatis rebus, atque adeo inter amore coniunctissimos, locum habet. itaque lib. 3. de Offic. c. 23. *Si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. si nihil proficiet, accusabit: pro, reprehendet patrem, nefaria de patria cogitantem.*

Monere] *Monere, et hortari*, idem sunt in eo, quod vtrumque rationes habet ad persuadendum idoneas: in eo differunt, quod *hortatio*, quid euenturum boni sit, id si fiat, quod suademus; *monitio* autem, quid mali, nisi fiat, ostendit: et illa lenior, ac mitior, haec seuerior, ac durior: non enim caret obiurgatione quadam. id ostendunt loca duo Ciceronis in Laelio c. 24. *Omni, inquit, hac in re habenda ratio, et diligentia est: primum, ut monitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat.* Quo loco sic vsurpat, *obiurgatio*, pro, *monitio*, vt paullo post, *obiurgari*, pro, *moneri*. Subiungit enim: *Illud absurdum est, quod ii, quae monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. pe-*

casſe enim ſe non anguntur, obiurgari moleſte ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correptione gaudere. recte igitur Cicero, cum hortatus Pompeium eſſet, monendum etiam putauit, vt ei magnam ex reductione regis infamiam proponeret.

Magnam infamiam] Triplicem; vel ingrati animi, qui Lentulo, cuius erga ſe officia cum in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palam commemorauerat, reductionem regis Alexandrini, praefertim ei iam a ſenatu decretam, conaretur eripere; vel immoderatae ambitionis, qui, ſummis iam perfunctus honoribus, triumque triumphorum gloria circumfluens, frumentaria etiam curatione, ſumma cum poteſtate, paullo ante ornatus, tamen, his non contentus, honorem praeterea, quicumque eſſet, Aegyptiae legationis appeteret; vel etiam auaritiae, quod regis muneribus, magnam ab ipſo reſtituendi cupiditatem prae ſe ferentis, corruptus exiſtimari poſſet.

Plane] Hic valet, omnino: vt lib. 16. epiſt. 5. *Mibi placebat, ſi firmior eſſes, vt te Leucadem deportaret, vt ibi te plane confirmares.* Alibi aperte: quia, quae plana ſunt, oculis patent: vt lib. 2. epiſt. 15. *De Ocella parum ad me plane ſcripſeras.*

Nec precibus noſtris, nec admonitionibus] Cur haec duo tantum attingit, quattuor iam propoſitis, *hortari, orare, accuſare, monere*? Quia, qui locum precibus, et admonitionibus non relinquit, multo minus hortationi, aut accuſationi. magis enim et orando mouemus, quam hortando, et monendo, quam

accuſando: idque vel ipſe diſpoſitionis ordo declarat. nam, vt orare poſt hortari, ſic monere poſt accuſare, augendi gratia, Cicero collocauit. Hic dubitantibus in verbo, *admonitionibus*, et mendosum ſuſpiciantibus, quod tamen in omnibus legitur antiquis libris, aptamque, et percommodam ſententiam habet, ſcrupulum placet eximere. Dixerat Cicero, *et monere*: debuit igitur, vt nomen cum verbo congrueret, inferre, *monitionibus*, non, *admonitionibus*: cum, *monere*, et *admonere*, ſignificatione diſferant inter ſe. obiurgat enim is, qui monet, vt ſupra oſtendimus: qui vero admonet, non obiurgat, ſed, quid faciendum ſit, docet: vt exempla declarant. In hoc igitur prudentia Ciceronis agnoſcitur: qui cum de principe ciuitatis, et praecipuo ſui ab exſulio reditus auctore Pompeio loqueretur, aſperiore verbo iterum vti noluit, ſed mitigandam leniore verbo ſententiam putauit: vt oſtendat, ita Pompeium erga Lentulum animatum eſſe, non modo vt eum a reſtituendi regis conſilio verbis aſperioribus abduci, neceſſe non ſit, ſed nec admoneri quidem, ac doceri, quo pacto et ſuſpicionem vitet cupiditatis, et illam reducendi regis curam cupienti Lentulo obſequatur.

Relinquit locum] *Non relinqueret locum precibus*, duobus modis accipitur: vel cum is, cuius gratia et auctoritas prodeſſe nobis poteſt, ita ſe geſſit, vt eum rogare non oporteat; vt in hoc loco: vel cum ita meriti ſumus, vt precibus nihil proficere poſſe videamur: cuius generis habemus exemplum apud Terentium in Andr. Act. 3. Sc. 4. v. 21.

[*Quid*

Quid caussae est, quin hinc in pistrinum recta profisciscar via?

Nihil est preci loci relictum; iam perturbavi omnia.

Locum igitur precibus vel aliena humanitas, vel nostra adimit improbitas.

In sermone quotidiano] Varie loquitur in hac sententia: nam hic, *in sermone quotidiano*, dicit: epist. 9. *in sermonibus dictitare*: in eadem, *dictitare* simpliciter.

In senatu] Hoc tempore Pompeius erat cum imperio, superiore anno rei frumentariae, et senatus consulto et lege praepositus. qui autem cum imperio essent, iis urbem, nisi deposito imperio, ingredi non licuisse, notum est. petiisse igitur a senatu Pompeium existimamus, ut introire in urbem, salvis legibus, posset. quod etiam postea, iisdem consulibus, ut accusatum de vi P. Sextium laudaret, impetrauit. epist. 9.

Egit causam tuam] Cum hortaretur senatum, ut reductionem regis tibi demandaret.

Eloquentia, gravitate, studio, contentione] *Eloquentia*, vbertate et elegancia orationis; *gravitate*, sententiarum pondere; *studio*, propensa in Lentulum voluntate; *contentione*, ope summa. plus enim est contentio, quam studium. nam, qui studet; cupit: qui contendit, in eo, quod cupit, intendit omnes nervos quod integrum posuit lib. 15. epist. 14. *Omnes tuos nervos in eo contentas, ne quid mihi ad hanc provinciam temporis prorogetur.* Inde contentio, vehemens actio. infra: *Libonis, et Hypsaeti non obscura concursatio, et contentio.* Epist. 9. *Caesaris, ut illum defen-*

derem, mira contentio est consecuta. Lib. 7. epist. 2. *In primis me delectavit, tantum studium bonorum in me exstitisse contra incredibilem contentionem clarissimi et potentissimi viri.*

Tuorum in se officiorum] Quod cum ornasti, dixit in extrema fere epistola. praestantem etiam Lentuli in Pompeium liberalitatem nominat epist. 7. maximum autem in Pompeium officium fuit, potestas rei frumentariae, per quinquennium ei toto orbe terrarum data. quod Lentulum consulem praecipue curasse, Plutarchus in Pompeio significat. quamquam, ut idem tradit, suspicio fuerit, id Lentulum spectasse, ut Pompeio frumentaria curatione implicito, ipse Ptolemaeum reduceret.

Marcellinum] Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, consulem hoc anno cum L. Marcio Philippo. Syriae post praeturam uterque praefuerat, Philippus Caesare et Bibulo cosl. Marcellinus anno sequenti, Gabinio et Pisone. Appianus in Syriaco, Iosephus lib. 14. Antiq. De hoc Cicero in Bruto c. 70. sic: *Nec unquam indifferens est, non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora, facetus satis.* Marcellinus. cognomen gentis Corneliae non est, sed ab adoptione derivatum. qui enim Claudianus appellari debuit; cum esset ex Claudii Marcellis; Marcellinus potius, quam Claudianus, appellari voluit: puto, ne videretur ex Pulchris, aut Neronibus fuisse; quae cognomina Claudiae gentis erant, patriciae: Marcelli autem, plebeiae. confirmat hanc opinio-

nem Pedianus in commentario Divinationis, cum ait: *Marcelli, et Marcellini inter se gentiles fuere.* Non quod Marcellini essent Claudii, sed quod ex Claudia gente orti, indeque in Corneliam translati. Eodem cognomine filius eius vsus est, qui bello ciuili contra Pompeium quaestor pro Caesare pugnavit, paterni videlicet heres odii: nam consul huius anni Marcellinus quam insensus Pompeio fuerit, Cicero lib. 2. ad Q. Fr. epist. 6. et Plutarchus in Pompeio demonstrat.

Iratum] Quia te cupidum videat reducere regis. Consulibus neque cum exercitu regem restitui placebat, neque ab iis, qui cum imperio essent, id est, nec a Lentulo, nec a Pompeio. epistola sequenti.

Tui defensorem] Tuarum omnium sententiarum, ac voluntatum.

Ostendit] Verbis. epist. 9. *In eo ipso, quod te ostendis esse facturum.* Lib. 4. epist. 1. *Eadem omnia, quae a te de pace, et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum.* Lib. 9. epist. 8. *Munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.*

Quod dat, accipimus] Nihil dat in regia causa, in ceteris rebus omnia. sic loquimur, cum nec id plane, quod volumus, nec tamen nihil impetramus. Lib. 2. in Ver. c. 61. *Alio loco de aratorum animo, et iniuriis video. nunc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos.* Ibidem paullo post c. 62. *Vt eo, quod datur.* Et lib. 2. de Orat. c. 44. *Si se (iudices) dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinans, atque propendunt: accipio, quod datur; et*

ad id, unde aliquis status ostenditur, vela do.

Referre] Referre, ad senatum, de quo sententiae dicerentur; *ferre*, ad populum, de quo suffragia ferrentur; visitatum veteribus est. Caesar tamen lib. 1. de bell. ciu. c. 6. dixit: *ut de eorum imperio ad populum referatur:* si modo vulgati libri vacant mendo. nam, *ferre ad populum*, visitatus esse, quam *referre*, nemo, ut arbitror, negabit.

De religione] De Sibyllinis versibus, reduci regem cum multitudine vetantibus.

Ab eo deduci non potest] Tuebatur obstinato animo sententiam suam, in quam, ut in argumento iam diximus, factum erat senatus consultum, regem cum multitudine reduci, periculosum reipublicae videri. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Idibus] Quo die senatus erat futurus. nec dubito, quin edictus esset, cum haec Cicero scripsit. nam et in epistola sequenti, cum ante lucem XVI. Kal. Febr. scriberet, subiunxit: *eo die senatus erat futurus.* quo perspicuum est, non eo die, quo haberetur, sed superiore, senatum edici solitum.

Mane] Prima luce. sed lib. 7. epist. 30. cum dixit, *quae erant futurae mane postridie*, aliter explanandum.

Hortensii] Declarata consulis voluntate, consularium sententias incipit exponere. Hic est ille Q. Hortensius, oratoria laude clarus. Hoc loco mirari aliquis possit, cur Cicero, de Marcellino consule locutus, ad consulares, omissa alterius consulis L. Philippi mentione, orationem traducat. Opinor, qui consul primo anni mense fasces sumeret, eundem et senatum eodem

dem mense habuisse; et, qua de re deliberandum putaret, retulisse: secundo autem mense collegam fasces recepisse: eundemque ordinem, ut alternis mensibus fasces haberent, usque ad extremum annum seruatum esse. itaque non Philippus, sed, qui fasces prior sumpserat, Marcellinus praecipuam mensis Ianuarii curam sustinuit, et de religione retulit, collega tamen assentiente: nam dissentientem Cicero nominasset. Vter autem fasces prior fumeret, docet Gellius lib. 2. c. 15.

Luculli] Marci, non Lucii, qui perierat anno superiore. hic enim qui nominatur, sine dubio idem est, de quo haec sunt epist. 7. *Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te antea, cognoui Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum.* Quam epistolam Pompeio et Crasso cons. id est, post Marcellinum et Philippum, esse scriptam, satis constat: quo anno Lucius viuere non potuit: cum eum oratio de prouinciis habita, ut ait Peditanus, Marcellino et Philippo cons. iam vita excessisse demonstrat. Marcum autem, ac Lucium fratres fuisse, Cicero, Plutarchus, alii testantur. Eutropius lib. 6. c. 7. consobrinos vocat: in quo ei non assentior; nisi si, duas sorores duobus Lucullis nupisse, aliquis dixerit. quod mihi non sit verisimile. video enim, M. Lucillum simul cum Lucio fratre Seruilio auguri diem dixisse, qui Lucii patrem accusauerat. quam rem iis verbis Cicero commemorat in prooemio lib. 4. Acad. ut Lucium et Marcum, in vlciscendo Seruilio, non consobrinos, sed plane germanos fratres agnoscere videatur: ait enim de Lucio: *Ad-*

modum adolescens, cum fratre, pari pietate, et industria praedito, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus. Verbum, *pietas*, eundem utrique patrem fuisse ostendit. Plutarchus etiam, cum ait, viuo adhuc Lucio rem eius domesticam a Marco fratre gubernatam, germanos potius fratres, quam consobrinos, significat. Sed Marci praenomen ab adoptiuo patre M. Terentio Varrone sumptum est. nam, a Terentio Varrone adoptatum, indicat Cicero lib. 3. in Ver. c. 70. cum legem Terentiam et Cassiam nominat, latam a duobus eiusdem anni consulibus, M. Terentio Varrone, et C. Cassio Varo.

Cedit religioni de exercitu] Antea tamen, reducendum cum exercitu regem, Cicero censuerat: habuit enim orationem pro Ptolemaeo reducendo: ex qua Aquila, Fortunatianus, et Capella recitant haec verba: *Difficilis ratio belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis.*

Teneri] Obtineri. Sic locutus est epist. 7. *Si res facultatem habitura videatur, ut Alexandriam, atque Aegyptum tenere possis.* Et epist. 9. *Etiam si portum tenere non queas.* Et lib. 14. ad Attic. epist. 12. *Tam claram, tamque testatam rem, tamque iustam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte?* Et in orat. pro Sextio c. 53. *Non tenuit eum locum, in quem, nisi popularis esse voluisset, facillime peruenisset.*

Quod commode facere possis ERN. *Quod commodo rem facere possis*] *Commodo*, pro *commode*, antiquae

que

que dictum. in quo dubitatum a nonnullis miror; quasi, *commodo*, aduerbium esse non possit. quod nisi diligens antiquitatis observator Carisus admonuisset, Caesaris tamen ad Ciceronem epistola lib. 9. ad Attic. epist. 6. doceret. Cum *Furnium*, inquit, *nostrum tantum vidissem, neque loqui, neque audire me commodo potuissem*. Mihi tamen olim placuit, neque nunc, quamquam repugnantibus antiquis libris, displicere potest, pro, *rem*, legi, *reipublicae*. atque hanc ex antiqua Latini sermonis consuetudine coniecturam duxi. quo in studii genere, nec infitior, a prima adolescentia satis accurate me esse versatum, nec omnino poenitet. Erat autem in mandanda publica *re* exceptio quaedam, ut id, quod mandaretur, ita fieret, si *commodo reipublicae* fieri posset. quo significabatur, eam rem non potestati magis, quam prudentiae, committi. Recitabo veterum exempla: quibus et eadem sententia, et iisdem enunciata verbis, agnoscetur. ac tum denique, utrum scriptis libris, id est, dubiae librariorum fidei, an certissimis antiquorum testimoniis, credi oporteat, cum praesertim nec a scriptis libris admodum discedat opinio nostra, doctorum virorum arbitrio permittam. Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 35. *Quoniam M. Messala, M. Pisone, cons. senatus censuisset uti, quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reipublicae facere posset, Aeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet, sese Aduorum iniurias non neglecturum*. Idem lib. 5. c. 46. *Scribit Labieno, si reipublicae commodo facere posset, cum legione ad fines Nerviorum*

veniat. Lib. 6. c. 33. *Labienum, Treboniunque hortatur, si reipublicae commodo facere possint, ad eam diem reuertantur*. Cicero ad M. Brutum epist. 5. *Decreui hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile, eque republica esse, persequerere bello Dolabellam: si minus id commodo reipublicae facere posses, siue non existimares e republica esse, ut in iisdem locis exercitum contineres*. Omitto illa similia, quae Ciceronem legentibus occurrunt: quod tuo commodo fieri possit: quod sine molestia tua facere possis: quod tuo commodo fiat: quod sine peccato meo fiat. Hic opponitur a quibusdam: hoc loquendi genus huic Ciceronis loco nullo modo convenire: putant enim, senatus haec verba fuisse, cum senatus consultum faceret, aut eorum, qui provincis cum imperio praesent, cum aliquid legatis mandarent: non igitur ea cadere in sententiam Ciceronis, Hortensii, et Luculli, qui privati senatores erant. Haec ratio quid momenti habeat, examinando cognoscemus. Primum quaero: si senatus, cum decernit, utitur his verbis, ut reipublicae caveat, cur non iisdem senator, qui et ipse sua sententia decernit, uti possit? decet enim, ut senatum in publico decreto, ita senatores singulos in dicenda sententia reipublicae consulere. quid est autem senatus consultum, nisi multorum senatorum idem probantium consensus? quod si, senatus consultum in alicuius sententiam senatoris esse factum, saepe legimus: nil aliud existimare licet, quam graviores eius sententiae partes in senatus consultum esse translatas: gravius autem nihil, quam ut id, quod

quod mandaretur, incommodo reipublicae ne fieret. itaque non est, opinor, mandantis dumtaxat, hic loquendi modus, ut senatus, aut proconsulis, sed eius etiam, qui suadet. Negabit hoc aliquis: at credat exemplo. Cicero in epist. 5. ad Brut. *Decreui hoc amplius, ut tu si arbitrare utile, eque republica esse, persequere bello Dolabellam: si minus id commodo reipublicae facere posses, siue non existimares e republica esse, ut in iisdem locis exercitum contineres.* Haec neque senatus consulti verba sunt, neque proconsulis, sed priuati Ciceronis, in senatu sententiam dicentis. cur igitur in hac etiam ad Lentulum epistola locum habere non possint? At libri veteres aduersantur omnes. Dissimulamus in re nota. quam multa enim contra veterum librorum auctoritatem, adiuvante historia, sententia, ipsa etiam Latini sermonis regula, non modo sine reprehensione, verum etiam cum laude summa docti homines immutarunt. mihi sane videtur, ut in omni re, sic in hoc industriae genere, modus quidam esse: ut libris quidem antiquis in corrigendo utamur, id quod ego diligenter seruo, mutare tamen ex ingenio, doctrinae aliquid aliquando liceat, sed ita parce, et vercede, ne corrigendi libertas ad temeritatem progressa videatur. quam ob causam veterem hic scripturam immutare nolimus: tantum fecimus, ut ostenderemus opinionem nostram: quam nec iis improbari, qui non temere, praeter sua, quidquam probant, ex eo possumus coniecere, quod, si qua laus coniecturae nostrae debetur, eam alio transferre conantur. Ni-

mirum, ad istas artes confugere, et alienis laboribus honorem ereptum velle, pusilli animi est: non enim addam, *et ipsa malevolentia ieiuni*: quod Cicero addidit in re non dissimili. neque nunc de meo iure litigabo: malim causa cadere, quam iis de rebus in iudicium, contentionemque venire, quarum studio si hoc assequor, ut bonis literis opem feram, cetera non valde requiro: si dantur, accipio: si minus, vberimum tamen, et suauissimum ex ipsa conscientia fructum capio.

Auctorem] Ut restituti regis honor, et gloria penes te sit. quod iam senatus decreuerat. *Auctor* is est, cuius auctoritate, et sententia aliquid fit. lib. I. ad Attic. epist. 19. *Agraria lex a Flanio tribuno plebis vehementer agitabatur, auctore Pompeio; quae nihil populare habebat, praeter auctorem.* Scriptor autem alicuius libri, quam Latine *auctor* dicatur, viderint ii, qui non dubitanter usurpant. Equidem neque Ciceronem, nec eius aequales, aut omnino quemquam stante republica ita locutum existimo. Et quoniam, cuius vel consilio, vel tacita auctoritate ad agendum impellimur, is quasi origo quaedam, et agendi principium est; inde factum, ut *auctor nobilitatis* appelletur, a quo nobilitatis initia manarunt; *auctor huius sermonis*, a quo primum fluxit hic sermo; *auctor meae salutis*, cuius opera saluti adeptus sum. *Auctor* etiam vocatur is, cuius testimonio, ut aliquid credamus, adducimur: ut lib. 6. ad Attic. epist. 1. *Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavius scribam fastos protulisse.* Adde illud, *auctorem* dici, non qui hortatur,

tatur, ne quid fiat, sed qui hortatur, vt fiat. Itaque, *auctor*, et *dissuasor*, Cicero opponit: ceteraque eiusdem, atque etiam aliorum exempla ad affirmationem semper, numquam ad negationem spectant. et ab *augeo* quoque deductum *auctor*, Carilius, et Seruius ostendunt: idque probant antiqui lapides, et libri. *Auctorem* igitur dixit, vt auctoritate Lentuli potius, quam potestate, et armis, exercitum religione tollente, Alexandrini Ptolemaeo reconcilientur. Eodem modo Phil. 2. c. 37. *Ille*, inquit, *vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus*. *Auctorem* vocat Caesarem, a quo illa manauerant: tamquam enim ab illo scripta defendebantur.

Crassus] M. Licinius Crassus, nunc quidem in Pompeium male animatus. quod indicat lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3. sed anno sequenti, consules iterum creati, in gratiam redierunt. Plutarchus. Hunc Quiridium, post Sullam, ditissimum, Plinius fuisse tradit, possedisse in agris H.-S. bis milles, id est, ad rationem nummi nostri, sexagies centena scutorum millia. Plutarchus totam eius rem, post decimam partem Herculi consecratam, epulumque publicum, et congiarium trium mensium singulis ciuibus datum, septem millibus et centum talentis aestimat: quae sunt Romano nummo, milles septingentes, et aliquanto amplius: vel, vt more nostro loquamur, scutorum quinquagies semel, eoque amplius: vulgo, supra quinque miliones, dicerent.

Nec excludit Pompeium] Cui, frumentariae curationis gratia, toto

orbe terrarum et senatus, et populus imperium dederat. lib. 4. ad Attic. epist. I. Plutarchus, Dio, alii.

Cum imperio sint ERN. sunt] *Imperium* duplex fuit, *urbanum*, et *provinciale*. *Urbanum* aut a populo dabatur, aut a senatu: a populo, consulibus, praetoribus; qui, centuriatis comitiis creati, maiores magistratus vocabantur: a senatu, dictatori, interregi; qui, nullis comitiis, senatus consulto creabantur. nam censores, licet inter maiores magistratus nominarentur, tamen nec imperium, nec ferendae legis ius habebant, neque licitoribus, aut viatoribus utebantur. reliqui vero, quos nominauimus, et imperium, et legis ferendae ius, praeterea viatores, et licitores habebant. Minores magistratus, aediles curules, aediles plebis, tribuni plebis, quaestores, et alii inferioris ordinis, *potestatem habere*, non *imperium* dicebantur. Imperium tribuno plebis non fuisse, Liuius lib. 2. c. 56. aperte ostendit exemplo Appii consulis, priuatum tribunum plebis clamitantis, sine imperio, sine magistratu. *Imperium* igitur in vrbe habebant i tantum magistratus, qui vocationem, qua carebant minores magistratus. Hoc imperium sine armis erat: propterea centuriata comitia, quod a Laelio Felice scriptum Gellius lib. 15. c. 17. recitat, intra pomerium fieri, nefas erat; quia exercitum extra urbem imperari oportet, intra urbem imperari ius non esset. Urbani imperii tempus in annuis magistratibus annum erat, in dictatore semestris ad summum, in interrege non ultra quinque dies: nam diuturnior is magistratus non erat. Consulibus tamen im-

perium

perium maius erat, quam praetoris: nam consul praetoris creandi ius habebat, non contra praetor consulis. et consul ab omnibus magistratibus auocare comitatum, concionemque poterat: praetor a consule non poterat: quod apud Gellium lib. 13. c. 14. 15. Messalla docet. Quamquam autem imperium esset in vrbe, nemo tamen ex urbanis magistratibus *imperator* est appellatus, sed hoc nomen iis dumtaxat, qui exercitum haberent, tribui solitum est, etiam ante quam, re bene gesta, imperatores ab exercitu salutarentur. *Imperium provinciale* duplex fuit, vnum a senatu datum, ex lege Cornelia, sine armis; alterum a populo, ex lege Curiata, cum armis. vide epist. 9. in extremo.

Bibulus] M. Calpurnius Bibulus, plebei generis, Caesaris in aedilitate, praetura, consulatus collega, eiusdemque inimicissimus, Pompeio etiam, ob Caesaris affinitatem, hoc tempore infensus: ideo priuatos decernebat, vt eum excluderet. Pompeii obrectatores Bibulus, Curius, Crassus appellantur lib. 2. ad Q. Fr. epist. 3.

Consulares] Atque etiam consules: nam, vt est in epistola sequenti, Bibuli sententiam valere cupiunt.

Seruilius] E numero consularium, qui assentiuntur Bibulo, tres excipit; Seruilius, qui omnino reduci negat oportere, cuius probatam a senatu sententiam, sed a tribunis plebis intercessum, indicat epist. 7. Volcatium, qui Pompeium decernit; Afranium, qui assentitur Volcatio. Hic est P. Seruilius Vatia Isauricus, qui cum Ap. Claudio, P. Clodii, Ciceronis inimici, patre,

consulatum gessit A. V. 674. triumphauit de Isauris ex Cilicia A. 679. vnde Isaurici cognomen accepit: quo etiam filium eius, qui cum Caesare consul fuit, vsum esse video. Censor fuit cum L. Cotta, vt ex Valerio, et Plutarcho licet colligere. vixit ad annos LXXX. vs Phil. 2. c. 5. indicat: et Strabo, qui scripsit historiam suam imperante Tiberio, eum a se visum testatur lib. 12. obiit, vt Dio lib. 45. docet, Antonio et Dolabella coss.

Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Aemilio Lepido A. V. 687. consulatum gessit.

Lupo] P. Rutilio Lupo tribuno plebis, quod ex epistola sequenti cognoscitur. praetor anno primo ciuiliis belli Pompeium secutus, Achaiam obtinuit. lib. 8. ad Attic. epist. 12. lib. 9. epist. 1. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 24. et lib. 3. c. 55.

Referendo] Non de reducendo rege tantum, sed vt a Pompeio reduceretur: quod patet ex epistola sequenti. Ius autem referendi in senatu tribunos plebis habuisse, vel hic locus ostendit: sed accedunt non modo epistolarum testimonia, 16. lib. 10. et 1. lib. 2. ad Q. Fr. verum etiam orationum. nam in ea pro Sextio c. 31. Ninnii tribuni plebis relatio nominatur. Neque solum ea de re, de qua consul, sed etiam de diuersa, eodem die, referre poterat tribunus plebis. nam ex Phil. 7. c. 1. consulem de Appia via, et de Moneta, tribunum plebis de Lupercis retulisse video. Retulerunt igitur in eodem senatu de reductione regis duo magistratus, consul Marcellinus de religione, id est, ne rex, prohibente Sibylla, cum exercitu reduceretur; Lupus

pus vero tribunus plebis, vt a Pompeio reduceretur. de religione consili omnes assenserunt; de reductione non idem omnibus placuit. Hortensius, Lucullus, Cicero Lentulum decernebant; Crassus, et Bibulus tres legatos, hic priuatos, ille etiam eos, qui cum imperio essent. reliqui consulares Bibuli sententiam probarunt, tribus exceptis, quorum duo, Volcatius, et Afranius, Lupi sententiam secuti sunt: tertius Seruilius totum de rege reducendo consilium, vel quod inutile putaret esse reipublicae, vel quod alienum a populi Romani dignitate, sua sententia damnabat.

Pompeio decernit] Plerique veteres libri habent, *Pompeio*: nonnulli, *Pompeium*: plerosque sum secutus. vtroque tamen modo recte: est enim in hac ipsa epistola, *tibi decernit*, et, *tres legatos decernit*.

Afranium] L. Afranium, qui quadriennio ante consul fuerat cum Metello Celere. Ne miremur eum studuisse Pompeio. nam et eo duce contra Sertorium, viuo Sulla dictatore, pugnauerat; et eiusdem Mithridatico bello fuerat legatus; et consulatum eius praecipue studio, atque opera adeptus erat. is ciuili bello a Caesare in Hispania victus, et liberatus, postea captus ab eodem in Africa, diffensione in exercitu orta, cum Fausto, Sullae dictatoris filio, est interceptus.

Assentitur] Non miror, Volcatium sententiam dixisse ante Afranium, cum sexennio ante consulatum gessisset.

Suspicionem] Nam ipse dissimulabat cupiditatem suam, et fauere

Lentulo videbatur, cuius etiam in senatu causam diligenter in primis egerat. de hac suspitione in epistola sequenti, et in 2. lib. 2. ad Q. Fr.

Laboratur] Difficultas negotii non sine quadam animi sollicitudine ostenditur, vt in extremo, *non laboraremus*.

Inclinata res est] Lepida translatio. Rerum status triplex est: aut enim ita se habent, vt volumus, et *stare* tunc dicuntur; aut aliter, ac volumus, et *inclinatae esse*; aut prorsus contra quam volumus, et *iacere*.

Libonis, et Hypsaei] Vtrumque puto tribunum plebis esse. de Hypsaeo quidem affirmat Dio lib. 39. Est autem L. Libo Scriboniae gentis, Pompeio primum amicitia, deinde etiam affinitate coniunctus. nam eum Sex. Pompeii, qui ex duobus Pompeii Magni filiis natu minor fuit, socerum nominat Dio lib. 48. eiusdemque alteram filiam, de uictis Bruto, et Cassio, Caesar Octavianus uxorem duxit: quod in Augusto c. 62. et in libro de clar. Gramm. c. 19. Suetonius ostendit: cuius auctoritate, et ipsa etiam temporum ratione moueor, vt in Dione non *Λιβωνος ἀδελφῆν*, sed *Λιβωνος θυγατέρα* legendum existimem. quod tamen Dionis mendum potius, quam librarii, oportet credere. In bello ciuili Pompeium secutus, primum Etruriae, mox, inde pulsus, nauibus quinquaginta praefuit. Florus lib. 4. c. 2. Dio lib. 41. et Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 26. et lib. 3. c. 5. 15. seqq. Crudelem fuisse, nec mediocri obstrictum aere alieno, Cicero significat lib. 9. ad Attic. epist. 11. *Quid tu*, inquit, *illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem*

Libonem praetermissurum sceleris putas? quorum creditores convenire dicuntur. quid eos autem, cum vicerint, in ciues effecturos? Consulatum A. 719. cum M. Antonio gessit. P. Plautius Hypsaeus iure pro Pompeio contendebat: fuerat enim eius quaestor bello Mithridatico: id quod in commentario Miloniana significat Alconius: et quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam fuisse, patet ex lib. 13. epist. 10.

Concursatio] Prensantium propria. *Concursabant barbatuli iuvenes* lib. 1. ad Attic. epist. 14.

Contentio] Maius quiddam est, ut iam diximus, in contentione, quam in studio. itaque Liboni, et Hypsaeo tribuitur contentio, studium reliquis Pompeii familiaribus.

Familiarium] Iterum familiares appellat, et paullo post intimos, ac domesticos, ad augendam suspitionem Pompeii voluntatis. nam familiares, et intimos de alicuius honore, ipso invito, laborare, qui consentaneum est? Sed Cicero interdum, vel Pompeii adductus beneficio, (nam, eo contentente, in patriam redierat) vel quod ita sentiret, liberare videtur eum omni suspicione cupiditatis: idque cum illa verba declarant: *in senatu palam sic egit causam tuam*: tum ea, quae sunt in epistola sequenti: *quem ego ipsum cum audio, provsus eum libero omni suspicione cupiditatis*. Et epist. 7. *Qui mihi semper tuae laudi favere visus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano*. Quamquam, non omnino quod ita sentiat, sed ut officio fungatur boni viri, Ciceronem ea scribere crediderim; qui, cum vtri-

que summe deberet, eorum amicitiam libenter conservaret. eoque sum in hanc opinionem propensior, quod lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. apud quem simulatio necessaria non erat, ambigere se de Pompeii animo significat his verbis: *In ea re Pompeius quid velit, non dispicio. Familiares eius quid cupiant, omnes vident*.

Cui qui nolunt] Qui amici non sunt. Similiter cum dandi casu, *Fundanio cupio*, dixit lib. 1. ad Q. Fr. epist. 2. *Favere, et cupere Helvetius*, Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 18.

Quod cum ornasti] Cum ad eum consul frumentariam curationem detulisti.

Nos] Epistolae clausula mirum habet artificium. nam, quia rem inclinatum esse dixerat, veritus, ne propterea Lentulo, cui omnia debebat, in aliquam negligentiae, aut etiam ingrati animi suspicionem veniret, avertit a se omnem culpam, excusatione quinquepartita: quod auctoritatis in regia causa minus habeat, quia pro bene de se merito contendat: quod gratiam suam Pompeii gratia maior exstinguat: quod multi ad Pompeium, ab eius domesticis, et a rege ipso corrupti, rem deferri velint: quod consules, ob regiam praecipue largitionem, totum consilium de restituendo rege improbent: postremo, quod nonnulli, quorum Lentulus auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderat, non tam virtutis eius memores essent, quam laudis inimici. quod peritiae vitium et hic perspicue notat, et in sequentibus epistolis 7. 8. 9.

Auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus] Epist. 7. *Nostre*

C

Nostra propugnatio, ac defensio dignitatis tuae, propter magnitudinem beneficii tui, fortasse plerisque officii maiorem auctoritatem habere videatur, quam sententiae.

Gratificari] In eo, quod a te causam regiam ad Pompeium transferant.

Multo ante, quam profectus es] Prorsus in tota epistola Ciceronis ingenium, et oratoriam calliditatem agnosco. nam exulceratae res post Lentuli profectionem, argumento esse poterant diligentiae praetermissae. id ne obiici possit, occurrit his verbis: *multo ante, quam profectus es.* Quod etiam iterat in epistola sequenti, cum ait: *totam rem istam iampridem esse corruptam.*

Ab ipso rege] Cum tu hic esses. nam regem ante Lentuli profectionem ab urbe discessisse, Fenestella teste probauimus.

Exulceratis] Corruptis, male affectis: translatione ab ulceribus, quae saepe, illato vngue, dilatantur. His autem translationum quasi luminibus, si cuius inter Latinos, Ciceronis maxime splendet oratio. Translata porro verba plus habere iucunditatis, quam propria, quae tamquam quotidiana fastidimus interdum, ac plus etiam ad significandum valere, satis constat. nam quia comparationes, et similitudines rem plane subiiciunt oculis; ideo translata, quae nihil aliud, quam breues, et concisae similitudines sunt, vigere magis in ostendenda re, quam propria, videntur. Sed de translatione Aristoteles, Cicero, Demetrius in primis in illo aureo *περί ἑρμηνείας* libello, quem pater meus, restituendae cupidus

antiquitatis, ante me natum edidit.

Exagitatis] Grauius vituperatis. sic in Oratore c. 13. *Plato, exagitator omnium rhetorum, hunc miratur unum.* Et Coelius lib. 8. epist. 11. *Totus eius secundus consulatus exagitur.*

Inuidiam] Infamiam, ob apertam regis largitionem. supra: *Senatus religionis calumniam, non religione, sed maleuolentia, et illius regiae largitionis inuidia comprobatur.*

Ita versamur] Quasi dicat, post discessum tuum nihil damni facium est noui: ita versamur in causa, ut ante quam tu profectus es.

Nostram fidem] Negotiales epistolae moralibus fere clauduntur sententiis; et vitandae satietatis causa; quia fastidium parit a primo ad vltimum producta narratio; et quod amici, uti sumus, ita videri volumus.

Praesentisque, tui cognoscent] ERN. *Praesentisque cognoscent]* Sunt, qui legant, *praesentes tui:* recte fortasse: mihi tamen sententia non aridet. quae enim haec amoris, et fidei minime necessaria distinctio? cur non et amor simul cum fide ab omnibus, et fides item simul cum amore a praesentibus cognoscatur? Quanto et planius, et commodius: *nostram fidem omnes, amorem tui absentis, praesentisque cognoscent?* quod est in duobus antiquis libris: in ceteris autem omnibus, quos quidem ego viderim, diuerse, non tamen ut sententia mutetur: *tui absentis, praesentisque tui.* potest enim ferri pronomen iteratum: potest etiam, quod malim credere, iteratum videri scriptoris incuria. nullo quidem